PRÆAMBULA
AD
UNIVERSUM JUS
CANONICUM.
COLLECTA,

Ad uſum, & Com̃odum Candidatorum

JURIS PRUDENTIÆ;

cum quibusdam Aſſertionibus Theoretice deductis

AC

EX LIBRI I. DECRETALIUM GREGORIJ PAPÆ IX.

TITULIS I. II. III. ET IV. DESUMPTIS.

Reliquiſque ad calcem appoſitis,

Publice propugnata

In Eccleſia Eremitarum Diſcalceatorum S. P. Auguſtini ad S. Joſephum Labaci Anno M.D.CC.LVII.

Die 11. Menſis Aprilis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆSIDE

M. R. P. HERMANNO JOSEPHO à S. Hilario,

Ejuſdem S. Ordinis SS. Theologiæ Lectore emerito, & SS. Canonum actuali, Archiducalis, & Academici Lycæi Labacenſis Cæſareo-Regio Examinatore publico, & jurato, nec non Conventus Labacenſis p. t. PRIORE.

DEFENDENTE

P. JOANNE BAPTISTA à S. Zacharia, Ejuſdem Ordinis SS. Theologiæ, & SS. Canonum Auditore.

Cum facultate Superiorum.

LABACI, typis ANNÆ ELISABETHÆ REICHHARDTIN Viduæ, Anno 1757.

Digitized by Google

SUB
FAVENTISSIMIS AUSPICIIS
CELSISSIMI
PRINCIPIS
DOMINI DOMINI
ALPHONSI GABRIELIS
S.R.I. PRINCIPIS
DE
PORTIA, & MITTERBURG,

Comitis ad Dettenſee in Suevia, regnantis Comitis in Orttenburg, Portia, & Brugnera, Hæreditarii Domini in Bremb, & Senoſchetz, Domini Dominiorum Pittersberg, Goldenſtein, Superioris Traaburg, Flaſchberg, Grünburg, Möderndorff, viciniæ Afritz, Weiſſenſtein, Ratlſegg, ſuperioris & inferioris Lauterbach, Hornegg, & Maylhofen &c. Piæ memoriæ S. Cæſareæ Majeſtatis CAROLI VII. & Electoratus Bavariæ Camerarii, ſupremi hæreditarii Præfecti Comitatus Goritienſis, atque Equitis Ordinis S. Huberti.

PRINCIPIS, AC DOMINI
CLEMENTISSIMI, MUNIFICENTISSIMI
D. D. D.

Celſiſſime

PRINCEPS

DOMINE, DOMINE

GRATIOSISSIME!

D*Um propatulæ ſeſe committere auræ geſtiunt ipſa Juris Sacri prælimina, quem alium ſibi Tutorem, Patronumque perquirant, niſi Te Princeps Celſiſſime, glorioſiſſimum omnis juſtitiæ aſſertorem? cui enim ipſa naſcentis juſtitiæ exordia potiori deberentur jure, niſi Tibi tanquam abſolutiſſimo omnis æquitatis Prototypo? Neque hujus ſingularis gloriæ Tuæ me magna ſtringit admiratio, dum mentis aciem in propemodum interminabilem Avorum Tuorum conjicio ſeriem, in qua, quot à mille quingentis, & ultra jam annis celeberrimos Athletas numero, tot fortiſſimos æquitatis propugnatores admiror. Quid enim obſecro, erat clariſſimum illud Romanæ Urbis decus, ac ornamentum, labantiſque Reipublicæ firmiſſima columna* Portius cato, *niſi invictiſſimum omnis juſtitiæ propugnaculum? vir ſane nulla poſteritatis laude pro meritis commendandus, niſi innocuam alioquin ejus vitam idololatriæ ſordes defædaſſent. Alium in præſens affero ſtrenuiſſimum æquitatis Tutorem, nobiliſſimum Romanæ curiæ,* Fabium *illum auro, cedroque digniſſimum, qui cuique, quod ſuum eſt, tribuere, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, Deoque, quæ Dei ſunt, conferre optime norat. Nec à Parentis imagine abludebat filius* Fabianus. *Paternarum virtutum ex aſſe hæres locupletiſſimus, qui quantorum-*

me-

meritorum fuerit, vel ipſe proclamat univerſus orbis chriſtianus, dum Eum ut triplici ſanctitatis laurea condecoratum ſubmiſſo Duliæ cultu veneratur. Dies me profecto deficeret, & oratio, ſi ſingula ſingulorum Portiani *ſtematis Heroum facinora forent ennarranda, in immenſum laudum pelagus errabundus devenirem, ſi tot toga, ſagoque celeberrimos* Fridericos, Hieronymos, Arcticos, Hugones, Guidones, Bartolomæos, Gabrieles, Manfredos, & Leandros *à ſuis virtutum ſingularium inſignibus ſuſciperem dilaudandos, quos ad ſumma quæque natos, vel mira in agendis dexteritas, vel rara in regendo prudentia, vel ſingularis vitæ ſanctimonia feræ commendavit poſteritati. Omnem itaque mentis obtutum in Te defigo Princeps Celſiſſime! & jam totus a virtutum Tuarum ſplendore in ſtuporem rapior: ſive enim ſpectem flagrantiſſimam illam in Superos Pietatem Tuam, ſive effuſa in egenos miſeroſque clementiæ, & liberalitatis viſcera, utrumque abyſſum dixero, qua abſorberi tenuis mentis acies non immerito reformidat. Omnium ſibi devincit animos Tua amabiliſſima, plenaque benignitatis indoles, ac ſuaviſſima auguſtæ frontis ſerenitas, quæ nullis adverſitatum procellis novit conturbari. Virtutum Tuarum undique diffuſus odor Nomen Tuum nunquam interituræ conſignavit æternitati. Dum clementiſſima charitatis Tuæ viſcera cunctis ſeſe pandunt, ingens egenorum turma ſuum Te proclamat Parentem clementiſſimum. Singularis illa Tua in Viros Religioſos benignitas cunctis ſemper præſto adeſt, Aulamque Tuam ſplendidiſſimam mira hoſpitandi liberalitas felici ſane metamorphoſi in Religioſorum Aſceterium commutauit. Neque his clementia Tua ſe circumſcribi patitur terminis, perfectiſſimum munificentiæ exemplar, ad ſupremum jam jam perfectionis culmen enixa, nobiliora longe liberalitatis edidit ſpecimina, dum Te, ac Celſiſſimam Stirpem Tuam complura Religioſorum clauſtra ut Fundatorem ſuum venerentur Munificentiſſimum. Longius adhuc in laudum Tuarum excurrere poſſem prærogativas, niſi id Tua inhiberet modeſta vere-*

cundia

Digitized by Google

cundia, quæ laudum humanarum encomiis minime ſolet delectari. Quare venerabundo ſilentio animi Tui dotes admirantes pro maxima in Religionem noſtram Sacram munificentia laboris noſtri conſecramus tributum, & præſentia hæcce folia Honoribus Tuis inperpetuum devovemus.

Aſpice ergo propitiis, quibus aſſoles, oculis hoc licet impar Magnitudine Tua gratitudinis monumentum, æternumque devotiſſimos gratioſa dignare benevolentia. Immortale Numen Te plane ſoſpitem Celſiſſimæ imprimis Familiæ Tuæ, noſtræque dein Eremitanæ Diſcalceatæ familiæ gaudio, ac bono quam diutiſſime conſervet. Ita precantur.

Humillimi Auguſtiniani Diſcalceati,
Provinciæ Germano-Boemicæ.

Digitized by Google

PROLOQUIUM
AD
BENEVOLUM LECTOREM.

PRæambula hæc oculis tuis ſubjicio Juris Candidate, non alio ex fine, niſi ut uſui, ac commodo tuo ſint faciliori, & promptiori. Scio innumera propemodum extare volumina, in quibus eadem & tradita ſunt accurate, atque non minus ſapienter, quam copioſe ſunt pertractata: non me tamen latet, aut tibi ad illa comparanda deeſſe vires, aut ad illa pervolvenda non ſuppetere otium: utrique occurrerevolui: hic enim collecta in unum reperies, quæ tibi in vaſtis voluminibus perſcrutanda forent. Utere hiſce foliis, quibus tibi januam ad Univerſum Jus Canonicum pando, & à recto non aberabis tramite, ſi ab iis commonſtratam elegeris viam. Lauda, ſi placet, conatus, quod ſi detractas, ſaltem lividi inſtar Zoili intentionem non vitupera, nam juxta can. 14. de pænit. *Cogitationis pænam nemo patitur.* Vale, & ſtudiis noſtris fave.

Digitized by Google

PRÆAMBULA
AD
UNIVERSUM JUS
CANONICUM.

ANtequam ad intimiora juris Canonici abdita pateat aditus, limina ejuſdem ſtudioſus ſalutet Auditor, neceſſum eſt: quod fiet, ſi Eſſentiam, Originem, Partes, & Authoritatem ejuſdem indagaverit, ac memoriæ mandaverit. Ad quam juvandam præſentia ſervient præambula generalia. Nam ut monet J.C. in lib. 1. ff. de origine juris: *Generalia præmittenda ſunt particularibus.* Cui monito ſequentes ſatisfacient Paragraphi. Quocirca ſit

PARAGRAPHUS PRIMUS
DE
JURE IN COMMUNI.

EXiſtentiam Juris legalis inter plurima indubitatæ veritatis argumenta, ipſa humanæ infelicitatis origo ex primi parentis infelici lapſu contracta palam declamat; Cum primus homo non peccaſſet, nec peccare potuiſſet, niſi jus præextitiſſet legale: inclamat ſiquidem Tarſenſis Præco Rom. 4. v. 15. *ubi non eſt lex, nec prævaricatio.* Item Rom. 5. v. 13. *Peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet.* Dubium proinde omne de juris legalis exiſtentia evaneſcit.

An autem *Jus* ſit primitivum nomen à nullo alio derivatum? An vero à *Juſtitia* appellatum? duplex eſt Authorum opinio, una affirmantium, altera negantium. Negantium probabilior eſt ſententia, cui etiam cum plerisque tam Canoniſtis, quam Civiliſtis ſubſcribo. Ratio eſt 1. quia Iſidorus in Can. Jus Generale 2. diſt. 1. aſſerit: *Jus inde dictum eſſe, quod juſtum ſit.* Conſentit etiam Ulpianus L. 1. in princ. ff. de J. & J. ubi diſertis verbis *Jus* à *Juſtitia* appellatum pronuntiat. Jus enim eſt medium, per quod intendimus juſtitiam: ſi ergo eſt medium, jus benè à juſtitia, non vero juſtitia à jure derivabitur, quia juſtitia totius jurisprudentiæ finis eſt. Ratio eſt 2. quia cauſa prior eſt ſuo cauſato, argumento, L. penult. ff. *Quæ rei pignori, vel hypothecæ datæ obligari non poſſunt*: ergo quia juſtitia cauſa, & mater juris eſt, nomen juris à juſtitia, & non viciſſim derivari debet. Ratio eſt 3. quia jus ſignificat artem juſtitiæ, atqui ars eſt poſterior ſuo objecto: unde Cicero L. 5. de finibus ait: *artem deſcendere à re, cujus eſt ars*, ergo jus utpote poſterius ſuo objecto, quod eſt juſtitia, ab eo deſcendere debet.

Nomen *juris* diverſimodè accipi poteſt. 1. Pro *loco*, in quo deciduntur cauſæ, & exercetur judicium: & in hoc ſenſu dicitur

quis in jus vocari, ſive in jure comparere. 2. Pro *ſententia Judi, cis*, per quam alicui decernitur, vel dicitur jus, ſeu adjudicatur, quod debetur. 3. Pro *ſcientia juris*, nempè Canonum, vel legum, ſive pro ipſa juriſprudentia, quam Ulpianus L. 1. ff. de J. & J. vocat *artem æqui, & boni.* Unde qui huic arti, vel ſcientiæ, aut potius prudentiæ dant operam, *Juris Studioſi*, *Juris Profeſſores*, aut *Juris Conſulti* nominantur. 4 Pro ipſa *lege*, *Canone*, vel *regula juſti*: & in hoc ſenſu opponitur facto: hinc enim ſunt illæ phraſes: *quæſtio juris*; *quæſtio facti*: *Ignorantia juris*, *Ignorantia facti.* 5. Pro *poteſtate*, ſeu *facultate* aliquid agendi, vel omittendi, vel alterum obligandi ad aliquid dandum, faciendum, vel omittendum: in hoc ſenſu dicitur aliquis conſervare jus ſuum, transferre in alium, ſuccedere in jus alterius, uti jure ſuo, de jure alterius pronuntiare, lædere jus alienum, &c. Et quidem jus hoc, quatenus eſt poteſtas obligandi alterum ad actionem, vel omiſſionem actionis, vocatur *Activum*: actio vero, vel omiſſio actionis ab altero præſtanda dicitur jus *Paſſivum*, vel terminus juris activi, quia correſpondet, & eſt correlativum juri activo alterius; v.g. Titius vendidit domum Cajo: per hanc venditionem Titius acquiſivit jus activum adverſus Cajum emptorem ad pretii ſolutionem: iſta autem pretii ſolutio à Cajo emptore præſtanda, vel obligatio ſolvendi pretii reſidens in Cajo emptore eſt jus paſſivum. Et ſic ſemper, quando in aliquo datur jus activum, & poteſtas obligandi alios, iniſtis reſpondet jus paſſivum, & obligatio aliquid faciendi, vel omittendi: quod jus paſſivum etiam vocatur *Debitum*, & in *legale*, atque *Morale* à Moraliſtis ſubdividitur.

Jus activum dividitur in jus *Proprietatis*, & *Juriſdictionis*. Jus Proprietatis eſt legitima poteſtas libere obligandi alios ad aliquam actionem, vel omiſſionem illius, principaliter in bonum proprium obligantis: tale jus eſt omne dominium rerum corporalium, & incorporalium, jus utendi, fruendi, jus decimandi, venandi &c. Jus vero juriſdictionis eſt poteſtas publica ſubditos obligandi voluntate ſua ad aliquid faciendum, vel omittendum in bonum communitatis, aut etiam privatorum: tale jus habent Papa, Imperator, Reges, Magiſtratus, & Judices omnes. Itaque jus Proprietatis immediate, directe, & principaliter tendit in bonum proprium obligantis, quamvis etiam ſimul poſſit cedere in bonum alio-

orum, & ultimate in in utilitatem totius communitatis. Jus autem Juriſdictionis immediate, directe, & principaliter tendit in bonum ſubditorum, & communitatis, licet aliquo modo etiam tendat in bonum habentis jurisdictionem, qua ratione ſemper habet admixtum jus Proprietatis: quatenus nempe habens jurisdictionem ſimul habet jus, & facultatem obligandi alios, ne ſe impediant à poſſeſſione, vel exercitio jurisdictionis.

Jus activum Proprietatis aliud dicitur *in re*, & aliud *ad rem*. *Jus in re*, *ſeu reale* eſt, quando res ipſa mihi devincta, ſeu obligata eſt, ita ut ad quemcunque poſſeſſorem ea devenerit, ſemper tranſeat cum hoc onere, ut illam perſequi, repetere, & vindicare valeam: ſic equum, qui mihi venditus, & traditus eſt, poſſum perſequi, & vindicare, à quocunque detineatur: ſic beneficium Eccleſiaſticum poſſum repetere, in quo canonice inſtitutus ſui: &c. Unde à poſteriori, & ab effectu civili jus reale definiri poteſt, quod ſit tale jus, quod *parit actionem realem*: quæ actio realis vocatur *rei vindicatio*, & pro varietate rerum, quæ vindicari, & repeti poſſunt in judicio, varias ſortitur appellationes: nam alia vocatur actio *Confeſſoria*, alia *Publiciana*, alia *Reſciſſoria*, alia *Pauliana*, alia *Serviana*, & alia *quaſi Serviana*, ſeu hypothecaria. *Jus ad rem*, ſeu *Jus Perſonale* datur tunc, quando non immediate ipſa res mihi devincta eſt, ſed Perſona, nimirum ex contractu, vel quaſi contractu: ex delicto, vel quaſi delicto: tale jus perſonale habet emptor, cui res empta nondum eſt tradita: electus ad Prælaturam ante obtentam Confirmationem: præſentatus ad beneficium Eccleſiaſticum ante inſtitutionem: paſſus ab altero injuriam, vel damnum. Ab effectu civili definiri poteſt, quod ſit tale jus, quod *tribuit*, *vel parit actionem perſonalem*: quæ actio dicitur *Condictio*, id eſt, jus cogendi perſonam in judicio, ut ſatisfaciat. Jus *ad rem* igitur differt à jure *in re*, quod per illud ſit res mea in ſpe, per iſtud vero ſit mea in re.

Jus in re ordinarie acquiritur per traditionem actualem. *L.* 20. *Cod. de Pactis*: non vero per pacta, & contractus: quia ſine traditione non datur applicatio rei, ut ea uti poſſim tanquam mea, quamvis per pactum, & contractum detur mihi titulus ad illam. Dicitur *ordinarie*: nam ſæpius acquiritur jus in re ſine

Par-

partitione: nempe 1. In beneficiis Eccleſiaſticis, ubi ſufficit collatio, & acceptatio: *Cap.* 17. *de præb. in* 6. 2. In hæreditatibus ex teſtamento, ubi ſufficit aditio hæreditatis. *L.* 23. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Aditur autem hæreditas, dum acceptatur verbo, vel facto: *§.* 7. *inſt. de hæred qualit.* 3. In legatis à Teſtatore relictis, ubi iterum ſufficit acceptatio: *per L.* 86. *§.* 2. *ff. de legat.* 1. 4. Quando aliquid donatur, relinquitur, vel venditur Eccleſijs, pijs locis, vel civitatibus. *L. fin. Cod. de SS. Eccl.* quia ſufficit acceptatio Eccleſiæ, &c. 5. In contractu Societatis omnium bonorum per matrimonium. 6. Si quis alteri donet fundum, domum &c. ſub ea conditione, ut ſibi præbeat alimenta; ſi vero ea non præſtet, ſtatim iterum acquirit talis jus in re antea donata. 7. Si Princeps contrahat cum aliquo, vel donet, & intendat transferre dominium, tunc donatarius, vel contrahens cum Principe ſtatim acquirit jus in re. 8. In hypotheca, vel pignore, in quo acquiritur jus in re ſine aprehenſione, vel traditione: ſiquidem in his 4. ultimis caſibus ſufficit conſenſus Conjugum, negatio alimentorum, voluntas Principis, ac nuda conventio, ut ex variis deſumitur juribus.

Inter jus reale, & perſonale aſſignatur jus medium, videlicet ex utroque mixtum. Et quidem tale jus ex reali, & perſonali conflatum eſt in caſu, quo res injuſte ablata partim adhuc extat, & ad hanc partem dominus habet *jus in re*: partim non extat, & ad hanc habet dominus *jus ad rem*, ſeu tantum adverſus perſonam, ut cogatur ſatisfacere. Propterea admittuntur à multis actiones etiam mixtæ, quæ nimirum ſunt partim reales, partim perſonales: Cujuſmodi dicuntur tres illæ, quæ enumerantur *tit.* 6. *Inſt.* quæ ſunt *Actio Familiæ Herciſcundæ*, qua petit hæres portionem hæreditatis ſibi competentem à cohærede, & ſimul præſtationes perſonales, v.g. compenſationem damni emergentis, vel fructuum mala fide conſumptorum &c. *Actio communi dividundo*, quæ datur illis, inter quos aliquid ex cauſa legati, donationis, vel alia quacunque commune. Et *Actio Finium regundorum*: qua agitur de confuſis finibus prædiorum ruſticorum iterum dirigendis, & determinandis. Huc etiam adducuntur *Actiones ad exhibendum*: quæ datur illi, qui habet probabilem ſuſpicionem, equum v.g. vel veſtem ſuam latere apud alium, ut ſcilicet iſte per

judicem cogatur præbere rem inſpiciendam. Plures tamen actiones mixtas refugiunt.

Jus Proprietatis reale ſubdividitur in dominium plenum, ſeu perfectum, & in non plenum, ſeu imperfectum. *Dominium perfectum* eſt jus perfecte diſponendi de re citra ullius injuriam: ſeu eſt legitima poteſtas diſponendi de re quovis modo poſſibili, nimirum utendo, alienando, deſtruendo &c. pro libitu, niſi forte lex obſiſtat, & diſpoſitionem per accidens reddat illi illicitam, vel invalidam: quæ tamen lex non obſtat dominio, modo nulli alteri competat jus in tali re diſpoſitionem liberam impediens. *Imperfectum* eſt quidem jus diſponendi de re, at non perfecte, puta vel de rei ſubſtantia tantum, uti poteſt Proprietarius, & *Dominus directus*, non vero de fructibus ejus; vel vice verſa de fructibus, & utilitate rei tantum, non vero de ſubſtantia, & proprietate, uti poteſt *Dominus utilis*, nempe Feudatarius, Emphytevta &c. Species dominii imperfecti ſunt ſervitutes omnes, Emphyteuſis, Feudum, Libellus, Superficies, Uſus, Uſusfructus, Habitatio, & reductive etiam poſſeſſio: quamvis aliqui quaſdam ex recenſitis ſpeciebus, præſertim ultimas non dominia, ſed ſolum jura realia vocitent.

Cum ergo *Jus* ut dictum ſumatur pro arte juris, ſeu ſcientia legum, & conſtitutionum, ſic D. Juſtinianus in §. 1. *Inſtit. de J. & J.* illud optime deſcribit, quod ſit *Divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti, atque injuſti ſcientia.* Nam Jus ita ſumptum eſt talis notitia, quæ tradit, quid in rebus divinis, hoc eſt, rebus ſacris, religioſis, ſanctis, & humanis juſtum ſit, atque injuſtum. Hic

Sciendum, quod apud juriſperitos *Rei* nomine veniat omne ens, quod vel exiſtit, vel exiſtere poteſt: adeo ut juridice acceptum hoc vocabulum & *Perſonas*, & *Actiones* comprehendat, ut habetur expreſſum *L.* 4. 5. & 6. *ff. de V. S.* Dicuntur autem apud Juriſperitos res eſſe duplices: vel enim ſunt *in patrimonio noſtro*, vel *extra patrimonium noſtrum*: quod idem eſt dicere, *in Commercio*, vel *extra Commercium.* Commercium vero nihil eſt aliud, quam *emendi, vendendique jus.*

Res autem juridice acceptæ aliæ vocantur *Communes*, aliæ *Publicæ*, aliæ *Univerſitatis*, aliæ *Singulorum*. *Res communes* illæ vocantur, quarum uſus eſt omnium hominum, proprietas autem actu nullius: tales res ſunt aer, mare, littora maris, & aqua profluens. *Res Publicæ* ſunt, quarum uſus communis eſt omnibus unius Reipublicæ, ſeu unius populi, ut flumina, & portus, id eſt, jus navigandi, & piſcandi in fluminibus, & portubus. Dicitur autem *Portus* locus concluſus, & munitus, quo importantur, & apportantur merces, *L. Portus* 59. *de V. S.* *Res univerſitatis* ſunt, quarum uſus eſt omnium de aliqua Univerſitate, Collegio, ſeu corpore, vel civitate: proprietas vero illius Collegii, ſeu Univerſitatis tantum: v.g. Theatrum, vel paſcua quædam communia. Dicitur autem *Univerſitas* corpus conſtans ex diverſis, & diſtantibus capitibus: ſic tres dicuntur facere Univerſitatem, ſeu Collegium, quamvis in uno jus conſervetur *L. 7. ff. quod cujuſque Univerſitatis nomine*, duo *Rixam*, decem *Turbam*, ſeu populum, ut communiter tradunt DD. ad *L. 3. de Abigeis.* Hodie res Univerſitatis eſſe ſolent *Curiæ*, *Scholæ*, *fora*, *plateæ*, *balnea publica*, *campi Martii*, *paſcua*, *nemora*, *ſylvæ cæduæ*, *aquæductus*.

Præterea etiam in jure reperiuntur *Res*, quæ nullius eſſe cenſentur: & hæ dicuntur eſſe extra commercium hominum, ſuntque triplicis claſſis, videlicet *Res ſanctæ*, *Res ſacræ*, & *Res religioſæ*. *Res ſanctæ* dicuntur illæ, quæ adverſus hominum injuriam munitæ ſunt lege aliqua pœnali, ut *Portæ*, & *Muri Civitatis*, quæ ſanctæ ſunt. *Res ſacræ* dicuntur illæ, quæ rite per Pontifices Deo ſunt conſecratæ, ut *ædes ſacræ*, & *altaria &c.* *Donaria* ad miniſterium Dei dedicata: & tales res nec alienari, nec obligari poſſunt. Ratio eſt: quia quod nullius eſſe poteſt, id, ut alicujus fieret, nulla obligatio efficere poteſt, ut inquit *L.* 182. *ff. de R.J.* Item *cap. 3. de Rerum permut.* dicitur: *ſemel Deo dicatum, non eſt amplius ad humanos uſus transferendum.* *Res Religioſæ* vocantur, quæ ſepeliendis cadaveribus humanis ſunt deſtinatæ, *locus* vero *Religioſus* juxta Juriſperitos cenſetur ille, qui humanis uſibus exemptus, voluntate, & facto Religioni, id eſt, corporibus

ſepe-

ſepeliendis deſtinatus eſt. Unde locus ille in quem corpus hominis, ut perpetuo ibi maneat, inhumatum eſt, ſervata corporis proportione *Religioſus* dicitur à *relinquendo*, quod relinqui debeat, ne corpora humana ſepulta inquietentur. Additur *humana* in genere, quia an liber, an ſervus ſit ſepultus, nihil refert.

Ultimo Res etiam aliquæ dicuntur *Singulorum*: & ſunt illæ, quarum dominium à ſingulis acquiri poteſt, vel quæ in poteſtate ſingulorum ſunt: & tales ſunt res, quæ ſunt in cujuſque patrimonio.

His ſcitis facile intelligitur, cur in definitione jurisprudentiæ, ſive juris pro ipſa ſcientia ſumpti dicatur, quod ſit *Divinarum, atque humanarum rerum notitia*: nam 1. per *Res Divinas* intelligitur Jus Publicum, quod in rebus divinis, id eſt, ſacris, Sacerdotibus, & Magiſtratibus conſiſtit; unde etiam provenit, quod Juris Conſulti Sacerdotes appellentur. Per *Res* vero *humanas* intelligitur Jus privatum, quod in rebus humanis, quæ ad ſingulorum utilitatem ſpectant, continetur. 2. Quia non tantum Jus Canonicum, ſed etiam Civile de rebus ſacris tractat: ſiquidem in Codice Juſtinianus Imperator titulum habet *De Summa Trinitate & fide Catholica*: item *de SS. Eccleſiis*: *De Epiſcopis & Clericis*: quæ omnia quid divinum ſunt. 3. Quia Jurisprudentia eſt rerum divinarum notitia, non eo modo, quo Evangelium notitiam divinam tradit (cum data definitio Jurisprudentiæ ante Juſtinianum inventa fuerit ab Ethnicis, qui in Deum Unum & Trinum non credebant, ſed thura idolis immolabant) ſed quatenus inter homines externis ritibus res divinæ tractantur: quarum cognitio etiam apud Ethnicos olim penes eorum imaginarium Collegium Pontificum erat, qui non modo decernebant, quibus hoſtiis, victimis, quo die, quo ritu, à quibus, & in quo templo hæc imaginaria ſacra fieri deberent: ſed etiam inibi congregati de jure reſpondebant, & Rituum modum per leges decernebant, quas ſacras eſſe exiſtimabant.

Additur in data definitione Jurisprudentiæ *Juſti & injuſti ſcientia*: ad differentiam aliarum ſcientiarum æque de rebus divinis, & humanis tractantium: quia aliæ ſcientiæ res divinas, & humanas non examinant ex Regulis *Juſti & injuſti*: neque æquum ab

ini-

iniquo ſeparant, licitum ab illicito diſcernunt, quod tamen eſt Juriſprudentiæ officium. Et dum dicitur Juriſprudentia *Injuſti* ſcientia: per ly *Injuſti* non intelligitur, ut fiat aliquid injuſti, ſed ut obvietur injuſtitiæ: nam & Medici agunt de venenis, & Theologi de peccatis: expedit ſiquidem mala ſcire, ut malis obviari poſſit: in quo ſenſu *L.* 18. *in Præfat. de injuriis* dici ſolet: peccata nocentium nota eſſe oportent. Itaque Juriſprudentia hoc docet: utrum cauſa, quæ in controverſiam venit, æqua ſit, vel iniqua? juſta, vel injuſta? an procedi debeat ſecundum Rigorem juris, vel Æquitatem? Dicitur autem *Rigor juris* tunc accidere, ſi pure ſpectentur verba juris: unde etiam venit, quod communiter pronuntietur: *Summum jus, ſumma eſt injuria.* Æquitas vero tunc dicitur accidere, ſi non tam verba, quam mens juris attendatur: vel Æquitas nihil aliud eſt, quam moderatio, & mitigatio juris ſcripti, qua mentem ſententiæ, ſeu rationem legis ſcrutamur, & exequimur. Ex his

Colligitur 1. Juriſprudentiam in genere acceptam veram eſſe ſcientiam. Ratio eſt: quia quoad omnes ſpecies conſiderata format rei cognitionem certam, & evidentem, per cauſam formando demonſtrationes undequaque perfectas de ſuo objecto. Sic enim Juriſprudentia *Naturalis* tam præcepta affirmativa, v.g. *Deum eſſe colendum, parentes honorandos, fidem ſervandam &c.* quam negativa, v.g. *furtum, adulterium, homicidium, &c* non eſſe committendum, perfecte demonſtrat ex illo principio immutabili: *Bonum eſt faciendum, malum fugiendum.* Sic Juriſprudentia *Canonica* ex illo inconcuſſo principio: quod *Summus Pontifex habeat Juriſdictionem ſpiritualem in omnes Chriſtianos*, evidenter demonſtrat Imperatores, Reges, & Principes Chriſtianos legibus Pontificiis in materia ſpirituali ſubjectos eſſe. Sic Juriſprudentia Civilis ex ſimili principio non minus immoto, quod *actus contra formam à legibus præſcriptam poſitus non ſubſiſtat*, luculenter demonſtrat, teſtamentum ſolenne coram quinque teſtibus confectum, donationem ultra quingentos ſolidos ad acta non inſinuatam, conventionem onerôſam pupilli ſine tutoris authoritate celebratam &c. non valere: ergo. Neque obſtat mutabilitas legum, vel ſingularitas actionum

B humana-

Digitized by Google

humanarum : nam leges ſolum mutantur quoad exiſtentiam, non vero eſſentiam, cum qua conveniunt in immoto ſuæ rationis dictamine. Pariter Jurisprudentia non tractat actiones humanas qua ſingulares, ſed qua univerſales.

Colligitur 2. Jurisprudentiam etiam eſſe veram Artem. Ita habetur ex *L. juri operam* 1. *in princ. de J. & J.* ubi Celſus definit jus, hoc eſt, Jurisprudentiam, quod ſit *Ars æqui, & boni.* Ratio eſt: quia Jurisprudentia exercet officium, quod exercent artes aliæ, efficit nimirum actiones humanas juſtas, & quidem cum recta ratione, prout efficere ſolet ars, ſeu *habitus cum recta ratione factivus*,

Colligitur 3. Jurisprudentiam eſſe habitum practicum. Ratio eſt: quia non inania intellectus phantaſmata perquirit, nec ſubtilioribus delectatur ſpeculationibus, ſed Regulas in eum tradit, & ordinat finem, ut homo per actiones legibus conformes Juſtitiam aſſequatur. Præterea Jurisprudentia non eſt habitus cognoſcendi Jus, ſed habitus applicandi jus ad caſus.

Colligitur 4. Jurisprudentiam eminere tanquam abſolutam Scientiam, nullique alteri proprie eſſe ſubalternatam, cum plurimis domeſticis principiis abundet, ex quibus ſuas concluſiones deducit: nec cogitur alterius ſcientiæ fores pulſare, aut illius opulentia ditari, vel nobilitari, ſola forma ſi excipiatur.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.
DE
DIVISIONE JURIS.

CUm Jus etiam, ut ſuperius dictum', accipiatur, & quidem hoc loco propriiſſime pro Regula juſti, ſeu pro Canone, vel lege, ſic hoc modo acceptum optime definitur: *Ordinatio rationis in bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Dicitur 1. *Ordinatio rationis*, ſeu rationabilis diſpoſitio ſuperioris obligans ſubditos ad aliquid faciendum, vel omittendum,

Digitized by Google

dum. Per quod differt à *Conſilio*, quod nullam imponit obligationem, ſed tantum ſuadet. Dicitur 2. *Ad bonum commune*: per quod indicatur finis legis, quæ ſemper tendere debet ad bonum communitatis moraliter unitæ ſub una gubernatione: per quod differt à *præcepto* ſtricte ſumpto, nam jus, ſeu lex fertur pro communitate, & afficit territorium legislatoris: præceptum vero imponitur perſonis ſingularibus, & adhæret perſonis ipſis. Sæpe tamen *Jus*, *ſtatutum*, *præceptum*, *lex*, in eadem ſignificatione accipiuntur. Dicitur 3. *Ab eo, qui curam communitatis habet*: per quæ verba indicatur legislator, qui habet jurisdictionem ſublimem, politicam, gubernativam ſe extendentem ad communitatem perfectam regendam. Dicitur 4. *Promulgata*: nam ut jus, lex, ſeu ſtatutum, aut quæcunque diſpoſitio ſubditos in actu ſecundo obliget, debet eis ſufficienter eſſe intimata. Plura de his in ſequentibus.

Dividitur jus in Naturale, & Poſitivum. Illud eſt *Ordinatio Divinæ ſapientiæ per dictamen Synderesis naturæ rationali manifeſtata, præcipiens ea, quæ rectæ rationi ſunt conſentanea, & prohibens contraria.* Hoc eſt, *quod ex libera voluntate poſitum eſt.* Unde Jus naturale *Neceſſarium*: poſitivum vero *voluntarium*, ſeu *arbitrarium* nominatur.

Circa Jus naturale obſervandum eſt 1. In ejus definitione dici 1. eſſe *Ordinationem*, ut ſignificaretur genus proximum, ſeu convenientia Juris naturalis cum jure legali in genere. Dici 2. *Divinæ ſapientiæ*, ut innueretur cauſa efficiens Juris naturalis, quæ non eſt alia quam Divina ſapientia, cum incluſione tamen voluntatis Divinæ, ſine qua nec eſt, nec eſſe poteſt ulla cujuſcunque legis obligatio. Item ut innueretur, *legem naturalem* (prout loquitur D. Th. q. 71. a. 6. ad 4) *contineri principaliter in lege æterna, & ſecundario in judicatorio rationis naturalis.* Dici 3. *Per dictamen Synderesis*: hoc eſt judicium practicum habitus primorum principiorum moralium: nam lumini naturalis rationis ſubſervit Syndereſis, quæ eſt virtus, vel mentis noſtræ habitus, quo inducimur ad conſequenda imperata per jus naturale, & ad fugienda, quæ prohibet. Dici 4. *Naturæ rationali*: per quas particulas indigitatur ſubjectum legis naturalis, quod eſt omnis, & ſolus ho-

mo. Cum inepte dicatur jure, & regula rationis gubernari, qui ratione non pollet. Dici 5. *Manifeſtata*: nam dictamen naturale non eſt formaliter ipſa lex naturalis, ſed ſolùm hujus applicatio, eo fere modo, quo dictamen rationis in ſubdito de ſervanda lege humana eſt hujus applicatio, non verò ipſa lex. Dicitur ultimo: *præcipiens ea, quæ rectæ rationi ſunt conſentanea, & prohibens contraria*: Hic duo notanda afferuntur: nempe 1. Jus naturæ aliud eſſe præceptivum, aliud prohibitivum. 2. Jus naturæ pro ſuo objecto agnoſcere, quidquid rationi naturali qua tali vel convenit, vel diſconvenit.

Obſervandum 2. Infantes, licet natura rationali conſtent, Jure tamen naturæ in actu 2do non obligari, antequam per uſum rationis, & maturitatem judicii, quæ circa annum ætatis 7. communius advenire conſuevit, promulgetur.

Obſervandum 3. Adæquatam regulam, ac menſuram Juris naturæ in tribus eſſe ſitam: nempe 1. In ſubordinatione, ac unione ad Deum. 2. In ordinatione, & dilectione ſui ipſius. 3. In recta ſocialitate cum aliis. Unde quidquid ad has conſervandas neceſſarium eſt, illud lege naturali præceptum eſt: quidquid vero illis repugnat, eadem prohibitum eſt. Unde Actus, quibus ad ultimum finem nos dirigi neceſſe eſt, Jure naturæ ſunt præcepti: ideo tenemur Deum agnoſcere, præ rebus omnibus creatis amare, ſpem æternæ felicitatis in ipſo ponere. Item actus ſpecialiter repugnantes, ac oppoſiti divinæ alicui perfectioni, v.g. odium, mendacium &c. adverſantes, jure naturæ prohibiti ſunt, utpote difformes primæ regulæ morum, ac Authori juris naturæ. Item quidquid in decalogo (excepta circumſtantia ſabbathi) continetur, eſt juris naturæ: quia omnia illa in decalogo contenta ſunt eſſentialiter conformia, vel difformia lumini rationis.

Obſervandum 4. Jus naturæ in multis diſcrepare à jure poſitivo. 1. in cauſa efficiente: dum jus naturæ Deum ut Authorem naturæ: poſitivum vero aut hominem, aut Deum ſub ratione Authoris ſupernaturalis pro fonte, & origine agnoſcit. 2. In cauſa materiali: nam juris naturalis objecta antecedenter ad prohibitionem continent quandam bonitatem vel malitiam fundamentalem, ra-

radicalem, & phyſicam. Objecta vero Juris poſitivi independenter à prohibitione, vel præcepto ſunt indifferentia. 3. In cauſa formali: Jus naturale ſiquidem ſola Dei tanquam naturæ naturantis voluntate conſtitutum, ac hominum mentibus inditum, nec voce, nec ſcriptura promulgatur. Jus vero poſitivum vel ſcripto datur, vel præconis ore publicatur, & non inaratur membranæ cordis. 4. In cauſa finali: finis enim naturalis legis eſt utilitas totius naturæ in ſe conſideratæ; finis vero legis poſitivæ pro legum varietate varius eſt. 5. In effectu: nam jus naturæ devincit omnes, quotquot natura intellectuali fruuntur; Jus vero poſitivum non omnes, ſed illos tantum obſtringit, qui legislatori ſunt ſubjecti.

Dividitur ulterius Jus poſitivum in *Divinum*, & *Humanum*. Illud eſt, quod à libera Dei voluntate in ordine ad finem ſupernaturalem immediate procedit. Hoc vero quod à libera voluntate hominum ſtatuitur. Jus divinum poſitivum aliud eſt veteris, aliud novi teſtamenti. Illud eſt libera ordinatio Divinæ ſapientiæ populo Hebræo per Moyſen promulgata, præcipiens ea, quæ ad finem ſupernaturalem per merita Chriſti venturi conſequendum ſunt idonea, & prohibens contraria. Hoc vero eſt libera ordinatio Divinæ ſapientiæ per verbum Incarnatum annuntiata, in die Pentecoſtes promulgata, ac per Apoſtolos univerſo mundo prædicata, præcipiens ea, quæ pertinent ad ſtatum gratiæ in præſenti, & gloriam in futuro, ac prohibens contraria. Præcepta Juris divini poſitivi veteris teſtamenti alia fuere *cæremonialia*, ordinata ad rite inſtituendum Dei cultum per Sacramenta Circumciſionis, & Agni Paſchalis, per Sacrificia, Feſta, abſtinentiam à certis generibus ciborum, variaſque obſervantias. Alia *Judicialia*, quæ concernebant Regimen politicum, officia Principum, & ſubditorum, commercia, ac Jura Civium inter ſe, & verſus extraneos, ac privatam cujusque æconomiam. Alia demum *moralia*, ad morum honeſtatem pertinentia. Ex his præceptis ſola *moralia* etiamnum perſeverant: *Cæremonialia* vero & *Judicialia* ſolum durarunt uſque ad mortem Chriſti.

Jus humanum aliud eſt *Sacrum*; aliud *Profanum*. Illud eſt ordina-

dinatio ad felicitatem æternam: hoc vero ad felicitatem temporalem. Profanum aliud eſt *univerſale*, ſeu *gentium*: aliud *particulare*, ſeu *Civile*, & hoc vel *publicum*, vel *privatum*. *Jus gentium* eſt ordinatio rationis diuturnis gentium moribus ad communem utilitatem gentium qua talium conſtituta. *Jus Civile publicum eſt* ordinatio rationis immediate in bonum commune & publicum totius Imperii ab ejuſdem ſupremo Capite promulgata. *Jus Civile privatum* eſt ordinatio rationis à legislatore politico in bonum temporale, & privatum Reipublicæ promulgata.

Quoad Jus gentium ſunt quidam Authores negantes illud dari: moventur ad hoc partim ex impoſſibilitate convocandi nationes omnes ad commune aliquod Jus mutuo conſenſu condendum: partim ex eo, quia illa, quæ vulgo Juris Gentium eſſe dicuntur, ne quidem à gentibus moratioribus obſervantur. Verum dari Jus gentium, ſana & evidens ratio persuadet: cum enim gentes defactò aliquam inter ſe ſocietatem iniverint, oportet, ut regulam habeant, ad cujus normam illa ſocietas ritè inſtituatur: hæc autem regula nil aliud denotat, quam Jus gentium. Motiva contraria levia ſunt: ut enim gentes ad communem legem faciendam conveniant, aut conſenſum mutuum verbis exprimant, gratis requiritur: ſufficit ſiquidem conſenſus tacitus, quem uniformi circa unam eandémque materiam operatione, ac ſubſecuta in transgreſſores animadverſione gentes declarant. Quod verò gentes conſtitutum ſibi Jus tam religioſè non obſervent, non defectum, ſed abuſum Juris exiſtentis indicat: hac ipſa namque de cauſa, quod una vel altera gens Jus hoc temere infringat, gentes alias ad arma, & vindictam provocat, comprobante hoc lugubri continuorum bellorum experientia.

Sunt & alij Authores, qui Jus gentium cum Naturali confundunt, ac ſola denominatione extrinſeca diverſum eſſe afferant: nempe quod Juris naturalis dicantur ea, quæ naturæ rationali qua tali ſunt conformia: Juris verò gentium, quæ eidem naturæ ſunt quidem conformia: ſuppoſito tamen ratiocinio humanæ indigentiæ. Moventur hi Authores 1. Quod Jus gentium,

um, ſi à Naturali diſtingueretur, nequeat procedere ab aliquo Superiore. 2. Quod pleraque, quæ apud Juris Conſultos Romanos, aliosque ad Jus Gentium referuntur, v. g. Contractus, rerum acquiſitiones &c. vel ad Jus Naturæ pertineant, vel ad Jus Civile Singulorum. 3. Quod Imperator in *§. Jus autem.* 1. Inſt. de I. N. G. & C. Jus gentium deſcribat, *quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit.* His tamen non obſtantibus vera eſt ſententia, quod Jus gentium à Jure Naturali adæquatè diſtinguatur. Cujus ratio eſt 1. quia Jus gentium habet objectum à Jure Naturali adæquatè diſtinctum: objecta ſiquidem Juris gentium non ſunt in neceſſitate naturæ fundata, neque intrinſecam malitiam, vel honeſtatem continent, uti ſingula inſpicienti patebit: ergo. 2. Quia Jus gentium magis ſocietatem, quam naturam rationalem reſpicit: neque tam facere rectos homines, quam ſocios deſiderat. Jus Naturæ è diametro felicitatem naturæ rationalis quà talis intendit, neque magis ſocium, quam hominem per ſe primo informare ſtudet: ergo cum ex fine primario differant Jus Naturale, & Gentium, differunt adæquatè. 3. Jus naturæ ſcriptum eſt in cordibus hominum, ac ſine hominum voluntate ſancitum: Jus vero Gentium moribus utentium invaluit, nec ſine gentium voto, & voluntate coaluit: ergo. Ad motiva AA. facilè ℞. Ad 1. Superiorem, cujus Authoritate Jus Gentium virtutem legislativam, & obligativam imbibit, eſſe Deum, non tanquam Authorem naturæ (ſic enim eſt Author Juris naturalis) Neque tanquam Authorem ſupernaturalem (ſic enim eſt Author Juris Divini), ſed ut Authorem humanæ ſocietatis, ſeu ſupremum Politiarum, & Rerum publicarum Principem. Ad 2. ℞. Quod illa quæ ad jus gentium per ſe ſpectant, quoad modum, & formam v.g. acquirendi, contrahendi &c. uti & effectus, qui contractus, & pacta inita conſequitur, ad jus gentium non pertineant. Modus ſiquidem, & forma contrahendi, cum gentium communem utilitatem primario non reſpiciat, ſed privatam magis commoditatem promoveat, ad Jus Civile pertinet: effectus vero, qui conventiones gentium conſequitur, Juri naturæ annumeratur. Ad 3. ℞. Imperatorem in memorato §. vel Jus Genti-

um

tium pro naturali per abuſum vocabuli uſurpaviſſe; vel per rationem naturalem non regulam intrinſecæ honeſtatis, vel malitiæ, ſed potius congruentiam aliquam, & convenientiam, quam ſtando in Juræ naturæ abſque longiori indagine deprehendere licet, ſignificare voluiſſe.

De Jure Gentium ſunt ſequentia 1. Bellum, non qualecunque, ſed publicum, & ſolemne, quod geritur eo Authore, qui ſummam in Republica poteſtatem habet, ad injuriam ab extraneo illatam vindicandam. Tale enim bellum, ſive ejus origo, ſive conditiones ſpectentur, Juri naturæ ignotum eſt. 2. Immunitas legatorum. 3. Jus ſepulturæ etiam hoſtibus concedendum. 4. Jus fœderum. 5. Jus repreſſalium: vi quarum, ſi Magiſtratus unius Reipublicæ in cauſa gravi & liquida civi alterius Reipublicæ juſtitiam adminiſtrare detrectet, huic à ſuo ſuperiore datur facultas apprehendendi ac detinendi ſubditum Reipublicæ nocentis, aut bona illius, uſque dum damni illati nomine ſatisfactionem acceperit. 6. Solemnis belli indictio, & denuntiatio. 7. Ne in tali bello arma venenata aſſumantur, neque hoſtis veneno interficiatur: neque fontes, & aquæ veneno corrumpantur: etſi liceat aquas ſine veneno ita deturpare, ut bibi nequeant. Hæc ſunt potiſſimum Juris Gentium capita.

Circa Jus Civile obſervandum 1. Illud dividi in *ſcriptum*, & *non ſcriptum*: illud eſt, quod expreſſo olim populi, hodie Principis conſenſu conſtat. Dicitur *ſcriptum*, quia ejus ſpecies ordinarie ſcribebantur: ſive dicitur *ſcriptum*; id eſt præſcriptum, ſeu ſancitum. Jus autem non *ſcriptum* ſeu conſuetudo, vel accipitur pro uſu, & frequentatis actibus, & ſic acceptum dicitur conſuetudo *facti*; vel accipitur pro Jure inde reſultante: & ſic acceptum dicitur conſuetudo *Juris*: & definitur, quod tacito populi vel Principis conſenſu nititur: ſeu quod tacitis utentium moribus introductum eſt. Ad hoc Jus Civile conſuetudinarium, ſeu non ſcriptum etiam jus feudale refertur, quod licet in ſcripturam ſit redactum, quia tamen ea intentione non eſt redactum, ut ſcriptum reputaretur, manet jus non ſcriptum, & refertur ad jura conſuetudinaria: ſicut à ſimili patet de teſtamento nuncupativo, & ſubſtitutione pupillari.

Ob-

Obſervandum 2. Juris ſcripti ſpecies eſſe ſex, quæ recenſentur *§. conſtat.* 3. Inſtit. de J. N. G. & Civ. Item L. 7. ff. de *Juſt.* & *Jur.*. Videlicet 1. *legem in ſpecie.* 2. *Plebiſcita.* 3. *Senatus conſulta.* 4. *Principum placita.* 5. *Magiſtratuum*, ſeu *Prætorum* edicta. 6. *Reſponſa prudentum.* Quas omnes ſex ſpecies *lex in genere* ſub ſe comprehendit: quæ definitur, *commune præceptum ab habente poteſtatem, ordinatum in bonum publicum.* id eſt utilitatem communem Reipublicæ. Reſpublica autem eſt *congregatio quædam hominum legibus, & moribus comprobata.* Et hæc Reſpublica eſt triplex: nempe *Monarchica*: in qua ſuprema Majeſtas eſt penes unum caput. *Ariſtocratica*: in qua Regimen eſt penes plures Optimates, ſeu Ephoros. *Democratica*: in qua regimen eſt penes totum populum. Democraticà alio nomine vocatur *Anarchica*, ſeu *Poliarchica.* Singulæ autem hæ tres Reſpublicæ reſpicere debent utilitatem communem, ſeu bonum publicum, & parentium utilitatem: Si enim reſpiciant commodum privatum: tunc Monarchica in Tyrannidem: Ariſtocratica in oligarchiam: & Democratica in ochlocratiam deflectit.

Obſervandum 3. *Legem in ſpecie*, tanquam primam Juris ſcripti ſpeciem, eſſe id, *quod populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti* conſule (quod exemplative, non reſtrictive accipitur, quia etiam Dictator ſolebat interrogare) *conſtituit. §. lex eſt.* 4. *Inſtit. de J. N. G. & Civ.* Ejectis enim Regibus, quando poteſtas conſulibus data fuit, populus ſibi tria præcipue reſervavit. 1. Jus creandi Magiſtratus. 2. Jus pacis, & belli. 3. Ferendi leges. Quando igitur emergebat quæſtio, quæ non erat ſoluta per legem, populus Romanus convocabatur per campanam ad Arengam, ad Arengā, ad Arengam: congregatoque populo loquebatur Magiſtratus Senatorum dicens: Domini mei, ecce talis quæſtio emergit de novo, quam non reperimus deciſam in noſtro jure, placetne vobis, ut ad deciſionem illius ita & ita ſtatuatur? & populus ſimul vel diviſim clamabat, ſic fiat, ſic fiat: illudque taliter conſtitutum lex dicebatur. Ut refert caſus *§. conſtat* 3. *Inſtit. de J. N. G. & Civ.*

Plebiſcitum tanquam ſecunda ſpecies juris ſcripti eſt id, quod *plebs blebejo Magiſtratu interrogante* veluti Tribuno plebis (quod

reſtri-

reſtrictive intelligitur, cum alium Magiſtratum non habuerit) *conſtituit*: fiebatque ſimili modo ac lex. Plebs autem differt à populo ſicut ſpecies à genere: nam populus ſignificat univerſos cives connumeratis etiam Patriciis, & ſenatoribus: Plebs autem ſine Patriciis & ſenatoribus cæteros cives ſignificat. Plebiſcita ab initio vim legis non habebant, ſed primo lata lege Hortenſia: ut habetur in *ſ*. 4. *Inſtit. de J. N. G. & Civ.* Hortenſius enim dictator, qui pacem compoſuit inter Nobiles & plebejos, legem tulit, ut valeret plebiſcitum, eoque jure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur: quæ lex lata fuit, cum plebs in montem Janiculum ſeceſsiſſet. *L.* 2. *ſ.* 8. *ff. de Orig. Jur.*

Occaſione dictæ legis Hortenſiæ pro eruditione majori ſciendum: quod quatuor fuerint ſeceſſiones, ſeu ſeditiones populi Romani. *Prima* fuit in montem ſacrum ob crudelitatem fœneratorum: fœneratores enim nimis grave Intereſſe exigebant, ita, ut in corpus illorum, qui ſolvendo non erant, poteſtatem habuerint, imo etiam illis licuerit debitorum corpora poſt mortem in fruſta ſecare, quod quidem non frequentabatur, ſed tamen graviter incarcerabantur, & accatenabantur: ob quam crudelitatem plebs primam fecit ſeceſſionem in montem ſacrum. *Secunda* fuit in montem Aventinum ob libidinem Appii Claudii: cujus Seceſſionis origo fuit Verginius quidam ob libidinem Appii Claudii, qui Verginii filiam appellari juſſit tanquam mancipium: ſeu quod idem eſt, voluit Virginii filiam pronuntiari ſervam ob ſuam libidinem, ut hoc prætextu juris eam ad ſe pelliceret, & ſtupraret: quod cum animadvertiſſet Pater Verginius, vidiſſetque ob potentiam Appii Claudii filiam liberari non poſſe, arrepto cultro de taberna lanionis ipſe eam occidit, ne tanto probro domus ejus contaminaretur: poſtmodum vero collectis militaribus copiis ſubſidium paravit adverſus Appium Claudium, populumque ad ſeceſſionem ſecundam in montem Aventinum concitavit. *L.* 2. *ff. de orig. Jur.* §. 8. & §. 24. Hinc Regibus, & Decemviris Romanis ſola libido finem attulit. *Tertia Seditio, & Seceſſio* populi Romani fuit in montem Janiculum: quam incitavit Matrimoniorum dignitas, ne Plebeji cum Patriciis jungerentur duce Cornulejo Tribuno. Fuit nimirum lex lata, ne ullus Senatorum, aut

Patri-

Patriciorum plebejam duceret, & viciſſim, ne ullus Plebejus alicujus Patricii filiam acciperet, quam legem plebs apprehendit, ſeceſſitque in montem Janiculum, ad quam reconciliandam, & reducendam Quintus Hortenſius Dictator, alias plebi chariſſimus, miſſus eſt, qui ea per ingenioſam paritatem reconciliata legem tulit, ut plebiſcita vim legis haberent. *§. 4 Inſtit. de J. N. G. & civ. Item L. 2. ff. de orig. Jur. Quarta denique diſcordia*, *ſeditio, ſeu ſeceſſio* fuit ob honorum cupidinem, ut Plebeji quoque Magiſtratus crearentur: Ambuſtus enim Pater duarum filiarum, unam Sulpitio Patricii ſanguinis: alteram Stoloni homini plebejo dederat: unde cum uxor hujus uxorem Sulpitii vidiſſet in magna dignitate conſtitutam, & in ſella eburnea: ſtatim ex invidia honorum cupidine ſtimulata concitavit maritum ſuum, ut conaretur efficere, quatenus plebeji quoque Magiſtratus crearentur: quod cum maritus efficere non potuiſſet, concitavit plebem ad quartam ſeceſſionem, ſeu ſeditionem.

Senatus Conſultum, quod eſt tertia Juris ſcripti ſpecies, in *§. 5. Inſtitut. de J. N. G. & civ.* definitur eſſe, quod *Senatus jubet, atque conſtituit*: Senatus inquam *Romanus*, non cujuscunque civitatis. Ratio introducti Senatus Conſulti fuit neceſſitas. *L. penult. ff. de LL.* Cum enim auctus eſſet populus Romanus in tantum, ut impoſſibile eſſet populum, & plebem ſemper poſſe congregari, ideo æquum viſum fuit populo, ut Senatores poſſent jura condere ſine populo, & plebe: unde Senatus vice populi conſulebatur, & interrogabatur à Conſule Senatorum eo modo, quo ſupra de lege in ſpecie dictum eſt. Similia Senatus conſulta continentur plura in jure: v. g. SCtum Macedonianum, Vellejanum, &c.

Principium placita tanquam quarta juris ſcripti ſpecies, ſunt leges, ſeu conſtitutiones Principum: cum lege Regia, quæ de Imperio ejus lata eſt, populus ei, & in eum omne Imperium ſuum, & maxime poteſtatem condendæ legis transtulerit. *§. 6. cum gloſſa Inſtit. de J. N. G. & civ.*

Quinta Juris ſpecies ſcripti ſunt *Magiſtratuum, ſeu Prætorum edicta*: quæ à Prætoribus ſunt ſtatuta, & propoſita: nam cum Conſules avocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in Civi-

 tate

vitate jus reddere poſſet, factum eſt, ut Prætor quoque crearetur, qui *Urbanus* appellatus eſt, quod in Urbe jus redderet: *L.* 2. §. 27. *ff. de orig. Jur.* Poſt aliquot vero dein annos non ſufficiente eo Prætore, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus eſt alius Prætor, qui *Peregrinus* appellatus eſt, eo quod plerumque inter peregrinos jus diceret. §. 28. *cit. L.* 2. Tandem Prætores etiam uſque ad octodecim aucti fuerunt, qui jus in urbe dicerent, §. 32. *cit. L.* 2. Hæc autem Prætorum edicta non modicam juris authoritatem obtinebant, non à populo, ſed ab ipſo Magiſtratu, ſeu à Prætoribus, qui authoritatem huic juri dederunt, quod & ideo Jus *honorarium* dicitur *in §. 7. Inſtit. de J.N.G. & Civ.* Ad Prætorum edicta etiam *Ædilitia edicta* referuntur, quæ *cit. §. 7.* dicuntur *juris honorarii portio.* *Ædiles* enim (quibus demandata erat cura non tantum ædium, ludorum, viarum, ſed etiam annonæ, & venditionum, obſervabantque, ne ruina, vel incendiis ædium deformaretur urbis aſpectus) etiam proponebant edicta, dicebanturque *Curules* vel à cura, vel à curru, cui impoſita erat ſella eburnea, in qua vehebantur. Erant quoque *Plebeji ædiles*, qui frugum curam habebant: hi quoque edicta proponebant, ex quibus duo adhuc extant: unum *de morboſis, & vitioſis pecoribus venditis. L. 1. ff. de ædilitio edicto.* Alterum, *ne quis canem, verrem, aprum habeat, quo vulgo iter fit. L. 40. 41. 42. ff. de ædilitio edicto.*

Sexta denique ſpecies Juris Civilis ſcripti ſunt *Reſponſa prudentum*: quæ ſunt ſententiæ, ſeu opiniones eorum, quibus permiſſum erat de jure reſpondere, vel ut loquitur textus §. 8. *Inſtit.* de J. N. G. & Civ. jura condere: hoc tamen intelligendum *per interpretationem*: nam antiquitus inſtitutum erat, ut eſſent, qui jura publice interpretarentur: quibus à Cæſare Auguſto jus reſpondendi datum eſt, qui juriſconſulti appellabantur: quorum omnium ſententiæ, & opiniones eam authoritatem tenebant, ut Judici recedere à reſponſis illorum non liceret: quæ authoritas uſque ad tempora Gordiani duravit. Hodie ſolius Principis, cujus eſt condere, eſt etiam interpretari leges. Interpretantur quidem Juriſconſulti etiamnum hodie, ita tamen, ut interpretatio vim legis

legis non habeat: aut interpretantur in hypotheſi, non vero in theſi: vel ſi ſit anguſtia verborum, non vero ſi ſit anguſtia mentis.

Obſervandum 4. Originem Juris Civilis eſſe hanc. *Primo.* Ab initio civitatis Romanæ ſub Romulo primo Rege populus erat ſine legibus, & ſine certo jure, manuque Regia tantum regebatur. *Secundo.* Romulus, aliique Reges Romulum ſecuti, ſtatuerunt leges *curiatas*, ſic dictas, quod Romulus populum in triginta partes diviſerit, quæ curiæ appellabantur: poſtmodum vero illæ leges *Jus Papirianum* dictæ ſunt, eo quod Sextus Papirius eas in unum librum conſcripſerit: quo jure gubernabatur populus uſque ad Regifugium, donec expellerentur Reges, quorum ſtatus per 244. vel ut aliis placet, 250. annos duravit. *Tertio.* Ejectis Regibus (quorum ultimus fuit ſuperbus Tarquinius ob libidinem ejectus) lata lege Tribunitia omnes leges Curiatæ exſoleverunt, iterumque cæpit populus Romanus incerto magis jure, & conſuetudine aliqua uti, quam lata aliqua lege, idque prope 20. annis. *Quarto.* Poſtmodum publica authoritate Decemviri conſtituti ſunt, & Athenas miſſi, qui leges à græcis civitatibus ex libris Solonis in decem tabulis allatas, in roſtris publice propoſuerunt; quibus deinde additæ ſunt duæ tabulæ tanquam ſupplementa, & ita appellatæ ſunt leges 12. tabularum, quarum ferendarum Author fuit Hermodorus quidam Epheſius exul in Italia, ut habetur *L. 2. §. 4. ff. de orig. Jur.* *Quinto.* His legibus 12. tabularum latis, quæ perbreves erant, & obſcuræ, cæpit, ut interpretatio deſideraret prudentum authoritatem: quæ ſubſecuta, & compoſita vocatur ſtricte Jus Civile: quæ interpretatio non ſtatim pro jure accepta, ſed tunc, ubi in foro agitata, & recepta eſſet. *Sexto.* Deinde ex his legibus certæ, ſolemneſque actiones, id eſt legis actiones, ſive ſolemnes ac determinatæ agendi formulæ acceſſerunt, quales ſunt v.g. manumiſſio per vindictam ſeu feſtucam, teſtamenti factio per æs & libram. Poſtea cum Appius Claudius has actiones propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet, Gnæus Flavius ſcriba ejus ſubreptum librum populo tradidit, qui liber vocatur Jus Civile *Flavianum*, ſicut leges curiatæ jus Civile *Papirianum* dictæ fuerunt. Tandem poſt multum temporis ſpatium Sextus Ælius alias actiones compoſuit, & librum populo dedit,

qui appellatur Jus Ælianum. *L.* 2. *§.* 6. *&* 7. *de orig. jur. Septimo* evenit, ut plebs in diſcordiam cum Patribus perveniret, & ſecederet, ſibique jura conſtitueret, quæ jura *plebiſcita* vocantur, dicta *L.* 2. *§.* 8. *Octavo* aucto nimis populo æquum viſum fuit Senatum vice populi Conſuli, qui quidquid conſtituiſſet obſervabatur, appellabaturque *Senatusconſultum*. Dicta L. 2. *§.* 9. *Nono* Magiſtratus jura condere cœperunt, edictaque proponebant, quæ *edicta prætorum* jus *honorarium* conſtituerunt: ad quæ etiam referuntur edicta *ædilitia*. *Decimo* denique & noviſſime Republica in Principes translata incæperunt *conſtitutiones*, ſeu *Principum placita* probabiliter ſub Octavio Auguſto, qui dum ſolus ſummam rerum obtinuiſſet, ita populo ſe accomodavit, ut ferret legem Regiam: quam idcirco Paulus *Legem Auguſti* appellat, & in qua probabiliter contentum fuit, ùt impoſterum unius imperio Respublica regeretur.

Obſervandum 5. Cum his ita ſtantibus Leges Civiles in immenſam excreverint molem, Juſtinianus Imperator in ordinem, & compendioſiorem formam exundantem legum multitudinem coacturus primam primo Regiminis ſui anno poſt Chriſtum natum 527. manum appoſuit; ex tribus præ exiſtentibus codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano, unum à ſuo nomine Juſtinianæum componi, & anno ſequenti promulgari fecit. Eum tamen anno 534. rurſus emendari, immutari, ac ſub nomine repetitæ prælectionis publicari juſſit.

Obſervandum 6. Corpus Juris Civilis Juſtinianæi, ſeu Romanorum, aut Quiritum quatuor Tomis conſtare: videlicet *Inſtitutionibus*, ſeu *Inſtitutis*: *Digeſtis* ſeu *Pandectis*: *Codice*, & *Novellis*.

Obſervandum 7. *Inſtitutiones*, ſeu *Inſtituta* ſunt legalis, ſeu totius Juridicæ ſcientiæ prima elementa ſeu principia: uno verbo, quoddam compendium juris, ideoque etiam per modum ſummularum in Corpore Juris primo loco ponuntur. Diviſæ ſunt in IV. libros, libri in titulos, tituli in paragraphos. Promulgatæ ſunt una cum Pandectis anno Chriſti 533. Kal. Jan. ſuntque earundem Pandectarum veluti compendium. Hæ inſtitutiones duabus præcipuis partibus abſolvuntur; 1. Proœmio Imperatoris, quo

juris

Digitized by Google

juris auctoritas hiſce Inſtitutionibus tribuitur. 2. Tractatu ipſo, qui IV. libros complectitur. *Primus liber* cum prioribus duobus titulis univerſi juris prolegomena, juſtitiæ nimirum, jurisprudentiæ, ac juris naturalis, gentium, & Civilis explicat: in reliquis autem titulis 24. uſque ad finem primum juris objectum nimirum *perſonas* explicat. *Secundus liber* cum titulis 25. & *tertius liber* cum titulis 30. Ac 5. titulis *libri quarti* explicat alterum objectum nempe *Res*: Reliquis vero 13. titulis libri quarti explicatur tertium objectum, nempe actiones civiles. Inſtitutiones citantur per ly *Inſtit.* vel *Inſt.* vel literam *J.* nominando titulum, & deinde paragraphum. v.g. *Inſt. de mandato* §. *recti*, legatur: Inſtitutione, vel Inſtitutionibus titulo de *mandato*, paragrapho *recti.*

Obſervandum 8. *Digeſta*, ſeu *Pandectæ* ſunt L. libri, in quibus principaliter continentur reſponſa Juriſconſultorum, plebiſcita, ſenatusconſulta à Romuli temporibus uſque ad Juſtinianum Imperatorem: Verbo, in quibus omne jus antiquum collectum eſt. Dicuntur *Digeſta*, eo quod ex confuſa multitudine veteris jurisprudentiæ præcipua capita in hoc opus ſint digeſta: aliter etiam nominantur *Pandectæ*, eo quod omnem antiquam contineant jurisprudentiam: *Pandectarum* enim, ſeu *Pandectæ* nomine denotatur liber omni ſcientiarum genere, & doctrina refertus. Citantur autem digeſta vel per D. majuſculum: vel per græcum π circumflexum: & nunc ordinarie per duplex ff., eo quod literæ iſtæ geminatæ denotent *pandectas* factas, id eſt perfectas eſſe: præterea etiam ſimul citatur *lex* vel per initialia verba, vel per adjectum numerum legis, aliquando etiam paragraphus adjungitur: ſemper autem penes titulus nominatur: v g. *L. non erit ff. de jure jurando*: ſic legatur: lege *non erit*: in Digeſtis: titulo *de Jurejurando.* Item *L.* 1. §. 2. *ff. de juſt. & jur.* ſic exprimatur: lege prima, paragrapho ſecundo digeſtis de juſtitia & jure. Hic advertendum eſt, quod ſi titulus aliquis in jure civili citetur, & non addatur, an in digeſtis, vel codice, aut inſtitutionibus contineatur, ille ſemper in Digeſtis quærendus ſit: v.g. L. 1. de judiciis. Sicut ſi titulus aliquis citetur in jure canonico, & non addatur particula X: vel in 6. ſemper in Decretalibus Gregorii IX. quærendus eſt.

Ob-

Obſervandum 9. *Codex* (dictus repetitæ prælectionis, quia alteri priori codici Juſtinianæo ſuffectus, & uno poſt Pandectas anno promulgatus eſt) ſunt XII. libri, in quibus principaliter continentur conſtitutiones, ſive reſcripta Imperatorum: vocaturque *Jus novum*: & citatur per literam *C.* vel per *Cod.* nominando titulum, leges, & Paragraphos, ſicut in Digeſtis: v.g. *L. Imperialis* §. *præſenti. C. de nuptiis*: ſic exprimatur: lege *Imperialis*: paragrapho *præſenti*: Codice *de Nuptiis*: vel in codice, titulo *de Nuptiis*. Si autem ſic ponatur: *L. fin.* vel *C. fin.* legatur: lege finali: capite finali.

Obſervandum 10. *Novellæ*, ſeu *Authenticæ* ſunt novæ conſtitutiones à Juſtiniano latæ, & vocantur etiam jus noviſſimum: dividuntur in IX. Collationes, hæ in titulos, tituli in capita: citanturque per literam *N.* vel *Novell.* vel *Auth.* v.g. *In Auth. de nuptiis collat.* 4. *c.* 1. *duo igitur.* legatur ſic: In Authentica ſub titulo *de nuptiis*, qui habetur collatione quarta, & hujus tituli capite primo, incipiente *duo igitur*: vel brevius, ac uſitatius: *Novel.* 22. c. 1. id eſt: novella 22. capite primo: quod idem eſt caput antea citatum.

Obſervandum 11. juſſu Friderici II. Imperatoris in corpus Juris relatum eſſe volumen de *uſibus Feudorum*: continet duos libros in titulos, & capita diviſos: citaturque ſic: de uſib. feu. legatur: de uſibus feudorum: vel ſic *in lib. feu. de prob. feu. alien. per Frid.* legatur: in libris Feudorum de prohibita feudi Alienatione per Fridericum.

Obſervandum 12. Dum unum jus alteri contrariatur, ſic Novellæ Codici, & Codex inſtitutionibus, ac digeſtis derogat: tum poſterior voluntas, quæ in Novellis, & Codice continetur, priori deroget: *L. fin. ff. de conſtit. Princ.* Inſtitutiones vero nec derogant Digeſtis, nec Digeſta inſtitutionibus: ratio eſt: nec prius inſtitutiones (ſive hæ uno menſe citius quam digeſta in publicum fuerint editæ: ſive poſteriores ſint digeſtis) in foro valere juſſæ ſunt, ſuumque robur obtinere, niſi ex quo die & Digeſta valerent, nempe Calendis Januarii Anni 533. ut habet textus in *Conſtit. tanta de Confirmat. Digeſt.* ſeu *L.* 2. *cod. de vet. jur. enucleando* §. *penult.* in verbis: *leges autem.* Item *in L.* 13. *eodem tit.*

Ob-

Obſervandum 13. Etſi ſummi Pontifices Presbyteris, & Clericis in dignitate conſtitutis, Item Religioſis ſub anathemate prohibeant audire jus Civile: nihilominus tamen privatum ſtudium legum Civilium non eſt prohibitum, ſed laudabile: imo Religioſis intra ſua clauſtra Profeſſorem legum audire minime eſt vetitum. Defacto etiam totæ Univerſitates hoc privilegio Pontificio gaudent, ut etiam Religioſis, ac Clericis publice ibidem liceat audire Civilem jurisprudentiam; imo nec deſunt, qui dicunt præfatos canones prohibitionem continentes contraria conſuetudine jam penitus abolitos eſſe: cum ipſa experientia docuerit juris civilis ſcientiam ad jus Canonicum perfecte intelligendum prorſus neceſſariam eſſe, nec ab invicem ſeparari poſſe: juxta illud tritum: *purus Canoniſta, eſt purus Aſiniſta.* Item *leges ſine Canone valent parum; canones ſine lege nihil.*

PARAGRAPHUS TERTIUS
DE
ESSENTIA JURIS CANONICI.

Obſervandum 1. Jus Canonicum per excellentiam dicitur Jus Regulare à græca voce Κανων derivatum: quæ vox *regulam*, utique vivendi ſignificat. Vocatur etiam alio nomine *Jus Eccleſiaſticum*: quia in ſola, & pro ſola Chriſti Eccleſia latum eſt. Item *Pontificium*: quia cura, & Authoritate Pontificum Romanorum partim conditum, partim collectum, partim confirmatum, & promulgatum eſt. Item *Sacrum*, quia de perſonis, rebus, & actionibus ſacris potiſſimum agit. Item *Divinum* originative: quia vel ex ipſis S. Literis tanquam divinæ veritatis, & voluntatis oceano SS. Canones tanquam flumina dimanarunt: vel quia authoritate divina, & poteſtate divinitus conceſſa à Chriſti in terris Vicario ſtatuuntur.

Obſervandum 2. Jus Canonicum optime definiri: quod ſit *Ordinatio rationis à poteſtate humana Eccleſiaſtica ad bonum ſpiri-*

tuale, & ſupernaturale per actiones religioſas conſequendum fidelibus promulgata. Explicantur ſingulæ hujus definitionis particulæ.

Dicitur 1. *Ordinatio rationis*: id eſt Juſſio, & diſpoſitio rationalis: eſt enim Jus Canonicum univoca ſpecies juris legalis: ideoque genericam illius naturam participare debet.

Dicitur 2. *A poteſtate humana Eccleſiaſtica*: per hæc verba differt Jus Canonicum à Divino, quod immediate à Deo conſtituitur: quod enim Jus Canonicum in obſervando 1. Divinum appelletur, id mediate tantum, originative, & radicaliter intelligendum eſt: & ex hoc

Colligitur 1. Cauſam efficientem Juris Canonici eſſe præ omnibus S. Pontificem, qui poteſtatem legislativam immediate à Deo conceſſam habet: ut patet ex illo Math. 16. *Quodcunque ligaveris &c.* Et ex illo Joan. 21. *Paſce oves meas.* Et ratio eſt: quia S. Pontifex eſt Vicarius Chriſti, non ab homine, ſed à Deo conſtitutus: ſicut ergo Deus, ita à Deo S. Pontifex poteſtatem legislativam conceſſam habet.

Colligitur 2. Pontificem Romanum legitime electum abſque ulla confirmatione, conſecratione, vel coronatione poteſtatem legislativam exercere poſſe. Ita habetur *can. in nomine* 1. diſt. 23. ubi Nicolaus II. in Concilio lateranenſi ita decernit: *Electus tamen ſicut verus Papa, obtineat authoritatem regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius: quod Beatum Gregorium ante ſuam conſecrationem feciſſe, cognovimus.* Idem ſtatuitur *in Extravag. ult. de ſent. excommunicat. inter commun.* Ratio eſt: quia Romanus Pontifex, cum ſuperiorem in terris non revereatur, confirmatione opus non habet: ſed quamprimum legitime, & canonice electus eſt, divina authoritate tanquam verus Chriſti Vicarius, & D. Petri Succeſſor poteſtatem Eccleſiaſticam nanciſcitur. Cardinales ſiquidem non ut Canonici Epiſcopo jus aliquod Summo Pontifici per electionem tribuunt, ſed nudam perſonam deſignant, in quam immediate Deus ſupremam Eccleſiæ poteſtatem transfert. *cap. licet 6. de Elect.* Neque conſecratio quidpiam de jurisdictione confert, ſed ordinis duntaxat poteſtatem indulget. Minus coronatio aliquid præſtat, cum magis cæremonialis, quam ſubſtantialis ſit.

Colli-

Colligitur 3. Summum Pontificem ſolùm legem Eccleſiaſticam univerſalem ferre poſſe independenter à Cardinalium conſilio. Ratio eſt: quia Summus Pontifex eandem obtinet poteſtatem, quam obtinuit S. Petrus. *Extravag. unam Sanctam* 1. *de M. & O. inter commun.* Sed S. Petrus habuit poteſtatem condendi leges independenter à Concilio Cardinalium: illius enim ætate necdum erat erecta Cardinalium dignitas: & Apoſtoli, licet in miniſterium, & adjutorium Petri fuerint aſſumpti, non tamen in plenitudinem, vel conſortium ſummæ poteſtatis. Quod autem in conſtitutionibus Pontificiis ſæpius occurrat hæc clauſula: *de Fratrum noſtrorum conſilio*: nullam neceſſitatem adhibendi ad conſtitutionis valorem Cardinales, ſed majorem deliberationem, & rei conſtitutæ ponderationem denotat. Neque ex verbis Matth. 18. ubi Chriſtus omnibus Apoſtolis dixit: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram &c.* Et Joan. 20. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos*: inferri poteſt communis Apoſtolis cum Petro Juriſdictio indulta: neque poteſtas Petri legislativa Apoſtolorum concilio, & conſilio alligata. Nam ibi poteſtas ligandi, atque ſolvendi Apoſtolis, eorumque in officio ſucceſſoribus limitate tantum pro ſuis determinatis Eccleſiis collata fuit: claves vero totius Regni cælorum nulli, quam Petro, ejuſque Succeſſoribus ſunt commiſſæ. Sicut enim aliud eſt claves ærarii, & aliud pecuniam ex ærario habere: quia illud plenitudinem, hoc portionem tantum poteſtatis oſtendit: ita aliud eſt habere claves regni cælorum, aliud poteſtatem ligandi, & ſolvendi: hoc enim partem, aliud totum ſignificat.

Colligitur 4. Concilia generalia leges univerſales condere poſſe, ſi authoritate Summi Pontificis congregata, & approbata fuerint. Conſtat hoc *ex Act. Apoſt. cap.* 15. Item *ex can. Canones* 1. & 2. *diſt.* 15. Item *ex L. nemo* 4. *L. cognoſcere* 7. §. 4. *Cod. de SS. Trinit.* ubi Imperatores Marcianus & Juſtinianus catholicam ſuam de Conciliorum veneratione mentem aperte profitentur. Et ratio eſt: quia ex juris tam divini, quam naturalis præcepto æque Ethnicis quam Chriſtianis ſemper mos erat, ut in rebus arduis ad plurium opem, & conſilia ſe verterent, atque quod communi conſenſu placuerat, pro lege haberetur.

Digitized by Google

Dictum fuit*: Si authoritate Summi Pontificis congregata , & approbata fuerint :* nam concilia, quæ proprio motu coaleſcunt, dicuntur Acephala, hoc eſt, corpus ſine capite : dicuntur etiam conventicula , & conciliabula, ut ait Pelagius II. *in can. multis* 5. *diſt.* 17. quia membra quantumcunque unita vigorem non habent, niſi à motu, & influxu capitis. Concilia vero, quæ ſummi Pontificis authoritate quidem congregata, non tamen approbata ſunt, ex eadem ratione deſtituuntur robore, & vigore, dum ab alio quam S. Eccleſiæ Summo Principe poteſtas ligandi reſpectu totius Eccleſiæ nequit exerceri. *Cum omnia Concilia per Romani Pontificis authoritatem & facta ſint, & robur acceperint.* Verba ſunt Paſchalis *in cap. ſignificaſti* 4. *de Elect.* Inde provenit, quod ex plurimis œcumenicis Conciliis octodecim ſolum ex toto ſint authentica, quia non plura Sedis Apoſtolicæ authoritate ſunt approbata : nempe Nicænum I. & II. Conſtantinopolitanum I. II. III. & IV. Lateranenſe I. II. III. IV. & V. Lugdunenſe I. & II. Epheſinum, Chalcedonenſe, Viennenſe, Florentinum, Tridentinum. Nam Francoſurtenſe, Conſtantinenſe, & Baſileenſe partim approbata, partim non approbata ſunt. Præterea Concilium in caſu ſchiſmatis, vel ſedis diu vacantis poteſt quidem leges Eccleſiaſticas condere, in quantum exigit temporum neceſſitas : non habebunt tamen efficaciam, & durationem, niſi à Succeſſore Pontifice confirmentur. Ratio eſt : quia abſolutam poteſtatem Concilium tunc neque à Summo Pontifice habet, cum nullus adeſſe ſupponatur ; neque à Deo, utpote de quo nulla lex, vel traditio extat: ergo habet à jure naturæ, in quantum cuilibet corpori myſtico conceditur, ut in defectu capitis ſe ipſum congregare, ſuoque bono proſpicere poſſit. Hic claritatis gratia

Notandum: Concilium, ſive à conſulendo, ſive à conſidendo dictum, eſt Conventus publicus ad tractandum de rebus Eccleſiaſticis inſtitutus. Aliud eſt *Univerſale*, ſeu *Oecumenicum* : aliud *Nationale* : aliud *Provinciale :* aliud *Diœceſanum. Univerſale* eſt Conventus Præſulum, Eccleſiæque totius Paſtorum legitima authoritate indictus, factus, confirmatusque ad majora fidei, & Religionis definienda negotia. Sicut enim ob publicas, communeſque omnium

nium Civium, & Reipublicæ neceſſitates convocantur à Principe comitia generalia: ſic cum fidei Chriſtianæ periculum, & bellum impendet, omnium Eccleſiarum Paſtores evocantur, communem cauſam communi voto acturi. *Nationale* eſt conventus à Papa, vel Patriarcha, aut Primate, convocatis totius Nationis, Regni, aut plurium Provinciarum Archi- & Epiſcopis celebratus. *Provinciale* eſt conventus, ad quem omnes Suffraganei Epiſcopi, Abbates, & Clerici totius Provinciæ ab Archi-Epiſcopo, ſeu Metropolitano citati conveniunt. *Diæceſanum* eſt conventus, quem indicit Epiſcopus Capitulo Cathedrali, Abbatibus, & Clericis ſuæ Diæceſis.

Colligitur 5 Concilia Nationalia poteſtatem habent condendæ legis pro Natione: Provincialia pro Provincia: Diæceſana pro Diæceſi. Ratio eſt: quia poteſtas legislativa ad tantum ſpatium extenditur, ad quantum jurisdictio: ergo cum jurisdictio concilii Nationalis Natione, Provincialis Provincia, Diæceſani Diæceſi concludatur, concluditur quoque hiſce limitibus poteſtas legislativa. Neque ut ſuos intra fines conſtitutiones talium Conciliorum obligent, requiritur approbatio Pontificia: tum quia in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap.* 2. diſerte jubetur, ut quæ à Concilio Provinciali ordinata fuerint, obſerventur: tum quia Concilia præfata una cum juriſdictione in ſuis territoriis poteſtatem legislativam accepiſſe videntur: dummodo contra jus commune SS. Canonum nil ſtatuatur, aboleatur, aut abrogetur.

Colligitur 6. Cardinales in ſuis titulis particularia ſtatuta condere poſſunt. Ita colligitur ex *cap. bis quæ* 11. *de M. & O.* ubi cum Cardinalibus adſtruatur jurisdictio ordinaria in ſuis titulis, tacite poteſtas legislativa conceditur. Dicitur *in ſuis titulis*: quia pro tota Eccleſia, etiam Sede Apoſtolica vacante, Cardinales etiam collective ſumpti leges condere nequeunt: quod probant textus *in cap. ubi periculum* 3. *de Elect. in* 6. *Clem. ne Romani* 2. *in pr. eod.* ubi dilucide decernitur, jurisdictionem Romani Pontificis poſt obitum ad Cardinales non devolvi: ideo nempe, quia nec à Cardinalibus in Pontificem ſolius Chriſti Vicarium adminiculante electione transfertur: nec à Pontifice decedente, velut perſonaliſſima, in Cardinales devolvitur. Pariter quod Cardinales pro ſuis

titulis poſſunt, id ipſum etiam valent Archi-Epiſcopi, Primates, Patriarchæ, & Epiſcopi pro ſuis particularibus Eccleſiis: quinimo & Generales pro toto ordine, Provinciales pro Provincia, & Superiores locales pro ſuis conventibus.

Dicitur 3. In definitione Juris Canonici: *Ad bonum ſpirituale & ſupernaturale*: per quæ verba diſtinguitur Jus Canonicum à Jure Civili: hoc enim temporalem, & politicam Reipublicæ ſalutem: illud ſpiritualem, & ſupernaturalem beatitudinem pro fine ſuo agnoſcit.

Dicitur 4. *Per actiones Religioſas conſequendum*: Actio igitur humana eſt objectum materiale proximum (nam remotum ſunt Res, & perſonæ Eccleſiaſticæ) juris & legis Canonicæ: non autem qualiscunque, ſed Religioſa, hoc eſt, ad cultum divinum, & ſalutem animarum ordinata, adeoque ſpiritualis: cum enim nihil præcipiatur, aut prohibeatur jure Canonico, niſi in ordine ad finem ſupernaturalem, ut vel actibus imperatis illum aſſequamur, vel ut ejus aſſequendi impedimenta per fugam actuum prohibitorum removeamus, neceſſarium omnino eſt, actus eodem jure præceptos eſſe aliqua ratione ſpirituales, & ſupernaturales, habereque proportionem cum ſuo fine.

Dicitur 4. *Fidelibus*: per quam particulam denotatur ſubjectum legum Canonicarum: proinde ſolum illi legum Eccleſiaſticarum ſunt ſubjectum, qui legislatori Eccleſiaſtico ſunt ſubditi, ac uſu rationis præditi. Adeoque duo requiruntur ad hoc, ut lege Eccleſiaſtica quis teneatur. *Primo* ut ſit ſubditus, vel quaſi ſubditus: cum poteſtas præcipiendi in ſuperiore ſupponat tanquam correlativum in inferiore obligationem parendi, ideoque ſubjectionem. *Secundo* ut ſit capax rationis: quia lex Eccleſiaſtica utpote moralis, & directiva actuum humanorum regula, nequit actus illorum dirigere, qui defectu rationis directionem non ferunt. Ex hoc

Colligitur 1. Omnes Chriſtianos, cujuscunque ſexus, conditionis, & dignitatis ſint, legibus univerſalibus Eccleſiaſticis obſtringi. *cap. Canonum 1. de conſtit.* Item *cap. omnes Principes 4. de M. & O.* Ratio eſt: quia Apoſtolo Petro totius Eccleſiæ cura eſt conceſſa,

ceſſa, ac omnium ovium ſine differentia ſexus & conditionis ſalus eſt concredita: ergo ſine differentia ſexus, & conditionis, ſupremi, & infimi, mares & fæminæ ſummo Pontifici legem univerſalem promulganti obedientiam præſtare tenentur.

Colligitur 2. Hæreticos ab obſervantia legum Eccleſiaſticarum non eſſe immunes *can. de Judæis* 5. *diſt.* 45. Ratio eſt: quia quicunque ſacro baptiſmatis fonte expiantur, januam Eccleſiæ ingrediuntur, ac Chriſto, ejuſque Vicario ſubjiciuntur: ſed hæretici per baptiſmi lavacrum in Eccleſiam ſunt ingreſſi: ergo Chriſto, ejuſque Vicario ſubjiciuntur, ejuſque legibus tenentur: neque ex eo, quod refractarios ſeſe exhibeant, immunitatem à legibus Eccleſiaſticis merentur: abſurdiſſimum quippe foret, ideo ſubditos eximere à lege, quia legem, & legislatorem vatiniano, ut ajunt, odio perſequuntur.

Dices 1. Etiamſi Juſtinianus Imperator tulerit leges pro Clericis *L.* 25. *&* 33. *c. de Epiſc. & Cler.* Item Angli Catholicos variis pœnis ſubjecerint, non ſequitur tamen, quod Juſtinianus habuerit juriſdictionem in Clericos, Angli in Catholicos. Ergo etiam quamvis Summus Pontifex tulerit leges, & pœnas ſtatuerit in hæreticos, hodieque ſtatuat, non ſequitur, quod ullam in illos habeat juriſdictionem. 2. Hæreſis eſt actus internus: ſed Pontifex, vel Romana Eccleſia nullam habet juriſdictionem in actus internos: *c. cogitationis* 14. *diſt.* 1. *de pœnit.* Ergo. 3. Romana Eccleſia nullam habet juriſdictionem in Judæos, Paganos, Catechumenos: ergo nec in hæreticos. 4: Hæretici ſunt extra Eccleſiam, utpote excommunicati, ac veluti membra abſciſſa reputantur: ergo non ſubſunt illius legibus. Conſeq. prob. Apoſt. 1. *ad Corinth. cap.* 5. *v.* 12. ait: *quid mihi de iis, qui foris ſunt*: ergo. 5. Romana Eccleſia tulit legem irritantem matrimonium clandeſtinum: Trid. Seſſ. 24. c. 1. de Reformat. matrim ſed hæretici non obligantur tali lege: quia tale matrimonium valet apud hæreticos etiam in Germania, ubi Tridentinum eſt receptum: ergo. 6. Pacificatio Religioſa, & Monaſterienſis obſtat, quo minus Pontifex poſſit exercere juriſdictionem in hæreticos: ergo. ℟. ad 1. Conc. ant. neg. conſeq. Diſp. eſt: quia Juſtinianus exceſſit ſphæram poteſtatis ſuæ

ut

ut cognovit Fridericus, S. Henricus, & ipſe Juſtinianus in poſteriori *Novel.* 123. *c.* 21. Contrarium habetur quoad hæreticos. Ad 2. ℟. tranſ. ant. neg. conſeq. Diſp. eſt: quia Eccleſia non punit hæreſim mentalem, ſed illam, quæ proditur ſignis externis. Dictum fuit tranſ. ant. quia ſuo loco dicetur, Eccleſiam poſſe præcipere actum pure internum. Ad 3. Conc. ant. neg. conſeq. Diſp. eſt: quia Judæi, Pagani,, Catechumeni non ſunt baptizati. Contrarium eſt quoad hæreticos. Ad 4. ℟. diſt. ant. hæretici ſunt extra Eccleſiam, id eſt, ſunt excluſi a communione Sacramentorum, meritorum, conc. Ant. ab obligatione, & ſubditela, neg. ant. & conſeq. Ovis etſi fugiat, poteſt cogi ad ovile: Hæretici ergo non ſunt extra Eccleſiam abſolute, cum adhuc retineant vinculum characteris baptiſmalis, quo & Eccleſiæ, & omnibus ejus membris colligantur: & ratione hujus adhuc ſubſunt juriſdictioni Eccleſiæ: Sunt tamen extra Eccleſiam aliqualiter, quatenus ei non communicant in communibus ſuffragiis in pænam diſſolutæ unionis cum viſibili capite Eccleſiæ & cæteris membris in unitate veræ fidei coadunatis; ad cujus tamen unionis reparationem ſolum indigent vera, & ſupernaturali pænitentia. Ex quo clare patet diſparitas inter abſciſſum membrum corporis phyſici humani, & corporis myſtici Eccleſiæ. Ad prob. ℟. Apoſtolum loqui de iis, qui nec ſunt, nec fuerunt per baptiſmum in Eccleſia, ut explicat Trid. *Seſſ.* 14. *c.* 2. quod hæreticis non convenit. Ad 5. ℟. conc. maj. diſt. min. atqui hæretici tali lege non obligantur per accidens, ex conniventia, & tolerantia Eccleſiæ propter bonum commune, & ne fiant meræ fornicationes, ſed hæretici faciliùs convertantur, proleſque fiant legitimæ conc. min. non obligantur per ſe, neg. min. & conſeq. ℟. 2. conc. maj. diſt. min. atqui hæretici tali lege non obligantur, quia ejuſmodi legi derogavit conniventia Pontificis, quia actum talem habet pro valido, conc. min. quia tali legi derogavit conſuetudo hæreticorum, quæ eſt irrationabilis, nullo nitens conſenſu Papæ, neg. min. & conſeq. Ad cauſalem ℟. Matrimonium hæreticorum, ſi contrahatur coram Prædicautio, qui ab hæreticis putatur eſſe Parochus, valere propter conniventiam Papæ, & praxim Epiſcoporum, qui hæreticos converſos non urgent ad noviter contrahendum: ſtat ergo

ergo pro lege irritante matrimonium conniventia Papæ, & ſententia Catholicorum: non tamen pro legibus prohibentibus, vel præcipientibus, unde ab his non liberantur hæretici. Ad 6. ℞. diſt. ant. obſtat, quo minus tam libere, & quidem propter bonum publicum ad vitandam confuſionem exercere poſſit jurisdictionem, conc. ant. obſtat, quo minus ſimpliciter poſſit, neg. ant. & conſeq. Etiam Rebelles à legibus Civilibus non liberantur, etiamſi Princeps propter bonum publicum, & ad vitanda majora mala eos coercere non poſſit: ergo à pari.

Colligitur 3. Infideles, quales ſunt Judæi, Saraceni, Ethnici, Mahometani &c. legibus Eccleſiaſticis non ſubjici. *can. de Judæis* 5. *diſt.* 45. Concil. Trid. *Seſſ.* 14. *de Reformat.* Ratio eſt: quia in infidelibus deficit jurisdictio Eccleſiaſtica: hæc enim non exercetur niſi in illos, qui per characterem baptiſmalem Chriſtiano nomine inſigniti Chriſto, & ejus Vicario ſubſunt: *quid enim* ait Apoſt. 1. *ad Corint. c.* 5. *mihi de iis, qui foris ſunt.* Neque dicatur: Chriſtum accepiſſe plenam poteſtatem juxta illud Pſalm: *Deus judicium tuum Regi da*: non videretur autem diligens Paterfamilias, niſi Vicario ſuo, quem in terra dimittebat, plenam æque ſuper omnes reliquiſſet poteſtatem. Item Petro, & Succeſſoribus ejus dedit claves regni cælorum, & dixit: *quodcunque ligaveris &c.* Et alibi, *paſce oves meas.* Omnes autem tam fideles, quam infideles oves ſunt Chriſti per creationem, licet non ſint de ovili Eccleſiæ: ergo Papa ſuper omnes habet juriſdictionem & poteſtatem de jure, etſi non de facto. Non inquam dicatur: nam tametſi ovium ſuarum curam indeterminate, & generatim Summo Pontifici demandarit Salvator: attamen non alias oves intellexerat, ac quæ de ovili Chriſtiano ſunt: tales autem non ſunt infideles, ſed fideles baptizati, ut ipſemet Apoſt. loc. ſup. cit. confeſſus eſt.

Colligitur 4. Græcos eſſe ſubjectos legibus Eccleſiaſticis juris Divini, vel Naturalis declarativis. Ratio eſt: quia lege divina, & naturali græci tenentur: ergo etiam lege declarativa juris divini, vel naturalis: quia lex declarativa non tam nova lex eſt, quam antiquæ legis major explicatio.

Colligitur 5. Græcos non eſſe ſubjectos legibus Eccleſiaſticis pure humanis modernis temporibus latis. Ratio eſt: quia Summus Pontifex, etiamſi quoad Græcos eandem ligandi, ſolvendi, paſcendi, ac jubendi poteſtatem adeptus ſit, quam adeptus eſt quoad latinos: ex benigna tamen intentione, & conſideratione non vult eandem poteſtatem adverſus Græcos circa leges Eccleſiaſticas pure humanas uſurpare: ſed ex indulgentia eos vult eſſe ab illis exemptos, ut conſtat *ex cap. cum olim* 6. *de Cler. conjug.* Item *cap. quæſitum 7. de pænit. & remiſſ.* dum tres Pontifices Stephanus, Innocentius III. & Clemens III. præceptum Eccleſiaſticum de ſervanda à Clericis in majoribus continentia Græcos non obligare dilucide profitentur. Conſtat etiam ex aliis præceptis Eccleſiaſticis, v.g. de conſecratione in fermentato, collatione ordinum, Sacrificio Miſſæ, quæ ad modum plane à latinorum more alienum obſervant græci. Dicitur *modernis temporibus*: ut excipiantur illæ leges, quæ, antequam orientalis à Romana Eccleſia divortium & receſſum fecit, tam græcis, quam latinis communiter promulgatæ ſunt, quarum numeroſa pars per concilia in oriente celebrata in orbem Catholicum prodiit.

Colligitur 6. Summum Pontificem non teneri vi coactiva legibus Eccleſiaſticis, nec propriis, nec ab Anteceſſoribus latis. Antequam hujus ratio detur, Notandum: Doctores diſtinquere inter vim legis coactivam, & directivam. Vis *coactiva* dicitur, quæ tranſgreſſorem pænæ reddit obnoxium. Vis *directiva* nominatur, quæ reatum conſcientiæ inducit. Hæc vis directiva alia eſt *directa*, alia indirecta. *Directa eſt*: quæ directe, atque ex vi immediata legis obligat conſcientiam. *Indirecta eſt*, quæ non tam ex virtute, & fine, quam occaſione legis obligationem conſcientiæ producit. Hoc notato ratio hujus colliges eſt: quia Summus Pontifex, cum in Eccleſiaſtica Hierarchia ſupremus ſit, non habet judicem, à quo judicari, condemnari, & puniri poſſit; ut in cauſa Marcellini Pontificis tempore Diocletiani Diis thura ex metu adolentis judicarunt Patres in concilio congregati *can. nunc autem 7. diſt. 21. ſumma Sedes à nemine judicatur.* Præterea: vis coactiva fundatur in juſtitia vindicativa, quæ cum virtus reſpectiva ſit, & directa ad alterum, duo ſubjecta ſupponit, agens, & patiens: vin-

di-

cans, & ſuſtinens: judicem, & reum: quod reſpectu ſummi Pontificis locum non habet.

Neque dicatur 1. Pontificem teneri vi coactiva, dum pænæ reus fit: *quæ punit cogitationibus ſe invicem accuſantibus.* Ad Rom. 2. Non inquam dicatur: nam remorſus, & ſtimulus conſcientiæ qui tranſgreſſionem tanquam pæna inſequitur, & de quo loc. cit. Apoſtolus loquitur, non vim coactivam, ſed directivam indicat: alias quippe vis coactiva in omni lege cum directiva concurreret, neque hæc ab illa ſeparari, aut lex pure præceptiva conſtitui poſſet.

Neque dicatur 2. In can. nos ſi 41. II. q. 7. ſcribit Pontifex ad Imperatorem: *nos ſi incompetenter aliquid egimus, & ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro, ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare judicio*: ergo: Non inquam dicatur: nam imprimis non diſcernitur ibi, fueritne cauſa ab Imperatore diſcutienda ſuper transgreſſione legis naturalis, vel poſitivæ fundata? Secundo patet, non poteſtatem judiciariam in Imperatore agnitam, ſed ipſius arbitrio intellectuali cauſæ cenſuram fuiſſe relictam, cujus cauſæ innocentiæ Pontifex confidebat.

Colligitur 7. Summum Pontificem non teneri vi directiva directa legibus Eccleſiaſticis. Ratio eſt: quia *nemo imperare ſibi, aut ſe ipſum prohibere poteſt*: ut dicitur *L. ſi de re* 51. *ff. de recept. qui arbitr.* Ad quam L. Gloſſa *fin.* tradit illud brocardicon. *Imperativus caret prima perſona.* Nimirum omnis obligatio directa ſupponit in imperante ſuperioritatem, & in faciente ſubjectionem: quæ cum deficiat in legislatore reſpectu ſui ipſius, deficit quoque obligatio directa per legem intenta: neque à ſuo Anteceſſore ita obligari valet, cum regula pariter nota ſit, quod par in parem non habeat imperium. Et ita intelligendi ſunt textus in *cap. innotuit* 20. §. *quamvis de elect.* ubi dicitur: *Succeſſoribus ſuis nullum potuit hac in parte præjudicium generare.* Item: *cap. exiit.* 3. § *cæterum ſanctæ de V. S. in* 6. ubi dicitur: *nec ſucceſſorem ſuum* (ſubaudi lex Anteceſſoris) *quomodolibet obligavit, cum non habeat par in parem imperium.* Ergo.

Si dicatur: quod ratio dictet, non aliter à Deo ſummo Pontifici poteſtatem legislativam fuiſſe conceſſam, quam ut pari obliga-

ligatione patiatur legem à ſe ferendam: qui proinde inſtar Miniſtri Dei inter cæteros ſibi ferat tanquam membro communitatis legem; ſicque diverſa conſideratione ſit ſibi ipſi ſuperior, & inferior. ℟. Summo Pontifici conceſſam eſſe poteſtatem ligandi, & leges ferendi pro ovibus, & fidelibus Eccleſiæ: ipſe autem non eſt ovis, ſed paſtor: non fidelis ſubditus, ſed caput. Ergo recta ratio non dictat, ut Pontifex tam ſibi quam ovibus legem ponat: aliàs ſi ſibi legem poneret, nec ipſe, nec Succeſſor legem abolere poſſet contra textus in Colliges 7. citatos. Neque contrarius eſt textus *in can. contra* 7 xxv. *q*. 1. ubi negat Zoſimus, quod Apoſtolicæ Sedis Authoritas Patrum ſtatuta immutare valeat: adeoque ſupponere videtur, quod etiam Pontificem ligent. Nam Zoſimus ibidem per ſtatuta Patrum intelligit decreta fidei, ad quæ non minus Pontifex, quam cæteri fideles tenentur: ſi enim SS. PP. extra fidei materiam quidpiam definiant, neque Pontificem, neque privatos efficaciter obſtringunt. Hæc reſponſio colligitur *ex can. ſunt quidam* 6. *immediate præced. d.* xxv. *q*. 1.

Colligitur 8. Summum Pontificem teneri vi directiva indirecta legibus Eccleſiaſticis. Ratio eſt: quia cum S. Pontifex ſit pars Eccleſiæ non qualiſcunque, ſed principalis, tenetur ex ipſo juris naturalis dictamine bonum Eccleſiæ promovere, nec verbo tantum, ſed & exemplo: ergo S. Pontifex indirecte tenetur legibus Eccleſiaſticis: nempe non ex virtute per legem intenta, ſed occaſione legis, quæ excitat dictamen naturale, ut, quam aliis ſervandam proponit legem, ipſemet ſervatu poſſibilem opere commonſtret, ne ſubditis anſam ſequendi malum exemplum præbeat. Et ita explicandi ſunt textus juris, Principem quoque ad legis ſuæ obſervantiam trahentes: veluti *can.* 2. *diſt*. 9. *Juſtum eſt, Principem legibus obtemperare ſuis.* Item *can. non liceat* 20. xii. *q*. 2. *non liceat Papæ prædium Eccleſiæ alienare. Item cap. cum omnes* 6. *h. t. Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe debeat uti eo.* Item *L.* 4. *c. de LL. Digna vox eſt Majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri.* Nam omnes iſti textus de vi directiva indirecta intelliguntur; ſicut & *cap. ſatagendum* 10. Item *cap. à ſanctis* 14. Item *can. Juſtitiæ* 15. xxv. *q*. 1. Imo cit. *cap. cum omnes*

non

non loquitur de conſtitutione Principis abſoluti, ſed de ſtatuto capituli, quo utique membra ſingula etiam quoad vim coactivam ligantur.

Dices 1. Ergo Summus Pontifex arctius ſua lege ſtringitur, quam fideles ſubditi: nam iſti ex lege poſitiva, ille vero juxta mox dicta ex lege naturali obligatur. ℟. Etiam ſubditi fideles non ſolum ex lege poſitiva, verum etiam ex Divino, & naturali jure juſta mandantibus obtemperare coguntur: ergo non magis legislator, quam iſti obligantur.

Dices 2. Pontifex diſpenſat in ſua lege cum fidelibus; quia lex naturalis & divina non obligant, ſi fideles non amplius velit eſſe obligatos Pontifex: atqui in lege naturali dictante & imperante, ut S. Pontifex legem ſuam ſervet, non diſpenſat Pontifex, quia lex iſta non alligatur voluntati Pontificis: ergo arctior eſt obligatio Pontificis, quam fidelium. ℟. Sicut jus naturæ non vult, ut Pontifici obediant ſubditi, quando non imperat: ita jus naturæ non vult, ut S. Pontifex ſervet legem, ad quam ſervandam ex juſta cauſa non tenetur: ſicut ergo non obligatur ſua lege, niſi juſte voluerit: ſic recte diſpenſat in ſua lege, ſi ob juſtæ cauſæ interventum eum obligari jus naturæ non velit. Nam ex juſta cauſa poteſt Pontifex juſte contravenire ſuis vel Deceſſorum legibus, ſeque Canonum Dominum oſtendere: *can. ideo* 16. §. *ſi ergo. cauſ.* 25. *q.* 1. Imo ſi materia non ſatis foret accommoda dignitati, & ſtatui Pontificis (non enim æqua plane illius cum ſubditis conditio eſſe debet) omnino non tenebitur.

Hic Notandum: Dicta noſtra eſſe intelligenda 1. tam de legiſlatore Eccleſiaſtico, quam Politico: cum ubique par militet ratio. 2. De Legislatore ſingulari, hoc eſt, qui ſolus omnibus imperet: ſi enim ſumma Imperii ſit penes Senatum, ut in ſtatu Ariſtocratico, vel penes populum, ut in ſtatu Democratico, etiam is, qui præſidet, v.g. Dux Venetorum, Conſul Cantonis Helvetici, legibus communiter latis vi quoque coactiva tenetur, velut ſubditus totius corporis, penes quod eſt legiſlatio. 3. De legiſlatore abſoluto, qui nempe ita ſolus imperet omnibus, ut etiam independenter, id eſt, privative, nullis aliis concurrentibus leges poſſit condere, etiamſi conſilium, vel conſenſum eorum exqui-

rere teneatur. Hac de cauſa etiam Prælati Monaſteriorum, & Generales Ordinum authoritate condendarum legum ſine convocatione deciſiva ſuorum capitulorum, Aſſiſtentium, vel Definitorum carentes, legibus ſeu ſtatutis quoad vim non minus coactivam, quam directivam obligantur: quia ſine Capitulorum, Aſſiſtentium, vel Definitorum ſuorum concurſu authoritatem legislatoris non habent, ſed ut pars communitatis obligatæ reſpiciuntur.

Dicitur tandem ultimo in definitione Juris Canonici *Promulgata:* Ratio eſt: quia jus legale Canonicum eſt allocutio publica ad populum directa, quæ ſine manifeſtatione nequit intelligi: eſt regula directiva actuum humanorum, quæ non cognita non poteſt dirigere: eſt imperium practicum obligans ad ſui obſervantiam, quod in mente imperantis retentum ſubditos conſtringere non valet: ergo.

Neque obſtat 1. ſi dicatur: *cap. ad hæc 1. de poſtulat. Prælat.* decernitur, ad hoc, ut conſtitutio obliget, ſufficere, *ſi quis noverit eam ſolemniter editam, aut publice promulgatam*: ergo ſufficit eſſe ſolemniter editam, licet non publice promulgatam. 2. Lex naturalis ab æterno exiſtit, quæ tamen ob defectum ſubditorum non poterat promulgari. 3. Promulgatio juris legalis præſuponit jus legale jam conſtitutum: quod enim non eſt, nequit promulgari. Ergo ℟. Nihil horum obſtare: non 1mum, quia textus in cit. *cap. ad hoc.* non disjunctive, ſed copulative, aut expoſitive eſt accipiendus, ut ſenſus ſit: *legem obligare, ſi ſolemniter fuerit edita, &* (id eſt) *publice promulgata.* Hic ſenſus evincitur ex ipſo contextu capituli, ubi in verbis immediate præcedentibus dicitur: non eſſe neceſſarium ad legis obligationem, *ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum, vel litteras inculcare.* Quæ verba abunde declarant, S. Pontificem non promulgationem generalem, ſed ſpecialem ſolum, quæ ſingulis ſubditis ſigillatim fiat, excludere voluiſſe. Neque 2dum. quia lex naturalis, antequam creaturis rationalibus manifeſtata eſt, non fuit lex completa, ſed incompleta & initiativa. Neque 3tiũ quia promulgatio præſuponit legẽ incomplete, & in actu primo conſtitutam; ſed per promulgationem com-

ple-

pletur, & habetur lex in actu ſecundo. Recolligantur ea, quæ in Tractatu meo ſexto Theologiæ Scholaſticæ de legibus, jure, & juſtitia q. 2. §. 5. dicta ſunt: nimirum promulgationem non eſſe prædicatum conſtitutivum legis nec per modum compartis, nec per modum complementi intrinſeci: ſed promulgationem eſſe conditionem eſſentialiter requiſitam ad hoc, ut lex obliget in actu ſecundo.

PARAGRAPHUS QUARTUS.
DE
ORIGINE JURIS CANONICI.

OBſervandum 1. Primam originem juris Canonici à Deo deſumi, non tantum ex ratione generali, quia cuncta bona ab ipſo procedunt, ſic enim cujuſcunque etiam particularis juris origo Deus eſt: neque ſolum quia eſt Author juris naturalis, ex quo jus Canonicum ſua mutuatur principia univerſalia, ſic enim etiam jus Civile originem ſuam à Deo habet: ſed ex ratione ſpeciali, & propria juris Canonici, quia nempe Authoritas, qua conditum eſt, & conſervatur jus Canonicum, proximiorem aliam cauſam non habet, quam ipſum Chriſtum Dominum, qui ſuper D. Petrum ejuſque Succeſſores ædificavit Eccleſiam ſuam, & claves dedit regni Cælorum: exinde tamen inferri nequit, quod jus Canonicum præſcindendo à textibus ſacrarum literarum, quibus etiam conſtat, ſit ſimpliciter loquendo jus humanum Eccleſiaſticum, & Author, ſeu conditor ipſius immediatus ſit homo, non Deus: cum aliud ſit Deum eſſe cauſam immediatam Authoritatis, qua conditur jus: & aliud, quod ſit cauſa immediata ipſius juris: prius eſt verum, non poſterius.

Obſervandum 2. Jus Canonicum tanquam à cauſa efficiente immediata exordium ſuum ſumpſiſſe à naſcente Eccleſia poſt Chriſti ad cælos Aſcenſionem ab ipſis SS. Apoſtolis, dum hi varia concilia congregarunt ad Eccleſiæ regimen, veramque catholicam doctrinam adſtruendam, ut divinum cultum ſtatuerent, & Evange-

li-

ſicas leges ſtabilirent: hiſce in Conciliis nonnullas Sanctiones ediderunt, & promulgarunt. Concilia autem, quæ Apoſtoli celebrarunt ſunt ſequentia.

Primum (de quo in cap. 1. act. Apoſt. fit mentio) fuit celebratum in domo Mariæ Matris Joannis A. C. 34. quando Apoſtoli convenerunt, ut eligerent duodecimum Apoſtolum loco Judæ proditoris: cum enim ibi oraſſent, ſtatuerunt duos, Joſephum qui vocabatur Barnabas, & Mathiam: dederuntque ſortes, & cecidit ſors ſuper Mathiam, communeratusque eſt cum undecim Apoſtolis.

Secundum itidem celebrarunt Apoſtoli Jeroſolymis eodem anno & loco ante martyrium D. Stephani, de quo in act. Apoſt: cap. 6. Creſcente enim numero fidelium ortum eſt murmur Græcorum, hoc eſt, Diſcipulorum, qui ex Judæis converſi in Græcia commorabantur, adverſus Hebræos Paleſtinam habitantes, eo quod deſpicerentur viduæ eorum in miniſterio quotidiano, videlicet in ſervitio menſarum communium, ubi propoſitæ erant: cum ergo æquum non eſſet Apoſtolos derelinquere Verbum Dei, & miniſtrare menſis, placuit, ut eligerentur ſeptem Diaconi, quibus manus impoſuerunt, id eſt, eos ordinarunt, ut exponunt Patres Concilii Neocæſareenſis relati *in can. Diaconi* 12. *diſt.* 93. Eoſque Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ Miniſtros conſtituerunt. Expungitur ergo ſententia exiſtimantium Diaconos ab Apoſtolis tantum menſis communibus, non etiam miniſterio Altaris fuiſſe præfectos, ut quidam docuerunt. Expungitur 1 Ex forma præſcripta electioni Diaconorum: quid enim ad cibaria curanda, & eſculenta ad menſas deferenda opus fuit miniſtris tam acurata ſolicitudine electis, tam ſacris ritibus initiatis? Expungitur 2. Ex effectibus ipſius electionis: ſtatim enim poſt hanc ordinationem ex eis Stephanus cæpit prædicare, ut refertur *cap.* 6. *Act. Apoſt.* quod munus Diaconorum eſt *can. perlectis. §. ad Diaconum. diſt.* 25. Item *cap. inter cætera. de officio ordin.* Initiati itaque fuerunt in dicto concilio Diaconi ab Apoſtolis, ut miniſtrarent menſis tam communibus, quam ſacris: communibus nimirum, non ut cæteris fidelibus laicis accumbentibus, quæ ad cibum potumque pertinent, Diaconi

defe-

deferrent, ſed ut eleemoſynas inter egenos pro ſingulorum neceſſitatibus dividerent. Menſis vero ſacris, id eſt, Altaribus, ut Apoſtòlis ſacrificantibus miniſtrarent.

Tertium Concilium (ubi plena Synodorum forma tradita fuit) celebrarunt Apoſtoli itidem Jeroſolymis Anno Chriſti 51. Anno 9. Imperii Claudii. Idque refertur in Act. Apoſt. cap. 15. Et ad Galat. cap. 2. Anſam huic Concilio dederunt Judæi fideles prædicantes, gentiles ad Chriſtum accedentes non poſſe ſalvari niſi per circumciſionem ſecundum legem Moyſis. Hujus controverſiæ definiendæ cauſa cum præsbyteris, & plebe chriſtiana Apoſtoli per orbem terrarum late diffuſi Jeroſolimis convenerunt, ubi interfuerunt Apoſtoli tanquam legislatores, & Judices: Plebs autem ut leges ab eis latas ſuſciperet. Poſt hujus cauſæ diſceptationem ſuffragio Apoſtolorum ſtatutum fuit, neminem Chriſtianorum lege circumciſionis, vel alia cæremoniali Judacia teneri, ſed ſolum, ut ab immolatis ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & à ſanguine abſtinerent. In dicto proin Concilio retentum fuit præceptum, ut abſtineant à ſuffocatis, & ſanguine, ut refertur cap. 15. v. 20. Act. Apoſt. quod poſtea repetitum fuit, & extat in can. 62. Apoſtolorum: forte ideo, quod talis caro eſſet morbida: vel ob vitandum ſcandalum, quia gentiles dicebant, tales carnes eſſe cibum ipſorum dæmonum: vel quia illis primis Eccleſiæ temporibus gentiles ſæpius contra Chriſtianos ſtomachati ſunt, quod infantes occiderent, eorumque ſanguinem haurirent, eo quod audiviſſent Chriſtianos in Miſſæ Sacrificio ſub ſpeciebus panis, & vini ſumere carnem, & ſanguinem Chriſti: vel denique, ut ſic facilius Judæi, & gentiles ad fidem converſi inter ſe unirentur: quod præceptum poſtea abrogatum fuit.

Quartum Concilium Apoſtoli convocarunt Antiochiæ circa Feſtum Pentecoſtes Anno 58. poſt Chriſti Nativitatem: cujus mentio fit cap. 21. v. 18. Act. Apoſt. Huic Concilio præſens fuit D. Paulus cum Nazaræis: & in hoc ſtatutum fuit ab Apoſtolis, ne Judæi credentes prohiberentur uti legalibus, dum duraret templum, figuraque veteris Synagogæ, ut illa paulatim cum honore ſepeliretur, non ſtatim ut impia & mortifera damnaretur.

Præter hæc quatuor Concilia alii etiam tres Conventus Apo-

ſtolorum recenſentur. *Primus* habitus fuit Anno 44. ubi ſymbolum, quod vocatur Apoſtolorum, compoſitum fuit teſte D. Cypriano in expoſitione ſymboli. D. Ambroſio ſerm. de jejun. Eliæ, & Epiſt. 1. ad Siricium. D. Clemente Epiſt. 1. & S. P. Auguſtino ſerm. 21: de Paſſione. Symbolum autem appellatum fuit à *Syn*, & *bolos*, quæ verba idem ſignificant ac *ſimul*, & *particula*, quaſi quod unuſquiſque Apoſtolorum, ſeu ſinguli eorum ſimul unam particulam appoſuerint. *Secundus* Conventus Apoſtolorum contigit, cum Deipara Virgo Maria ultimum diem clauſit, & in cælos aſſumpta eſt: tunc enim è longinquis Orbis partibus divinitus vocati Apoſtoli illuc convenerunt, ut teſtes eſſent illius glorioſæ Aſſumptionis. *Tertius* Conventus ab Apoſtolis celebratus eſt Antiochiæ Anno Chriſti 55. ad ſedandas controverſias illic exortas: cujus concilii meminit Innocentius I. Epiſt. 18. ad Alexandrum, & ſuper illud ſe refert Concilium Nicænum: in hoc Concilio nomen *Religionis Chriſtianæ* primo uſurpatum fuit, & pictura ac cultus SS. Imaginum decretus fuit. Unde SS. Imaginum uſus commendatur, & antiquitas earum probatur contra Iconomachos, videlicet Leonem, Conſtantinum Copronymum, Machometem, Wiclephum, & Calvinum &c.

Obſervandum 3. Canones, & leges Eccleſiaſticas, quas in hiſce conciliis, & alias ſtatuerunt Apoſtoli, ab initio non ſcripturæ ſtatim commendatæ, ſed traditionum inſtar in cordibus fidelium ſervatæ ſunt, ſicut aliæ traditiones Chriſti Domini: Primis enim illis temporibus, cum Eccleſia hæreticos non noviſſet, traditionibus regebatur: nam ut ait Tertull. de anima cap. 5. *Prior fuit anima, quam litera, & ſermo prior quam liber: & prior ſenſus quam ſtylus.* Traditionibus nempe obſervabantur v.g. jejunium quadrageſimale: ſuffragia pro defunctis: ritus aquæ benedictæ: Paſcha quotannis celebrandum: &c. Poſtea aliqua præcepta ſcribi cœperunt, & ſic Chriſtiana Reſpublica, ut alia quælibet bene fundata, partim jure ſcripto, partim non ſcripto, ſeu traditionibus regebatur. Tandem ex his traditionibus adhuc non ſcriptis, ab Apoſtolis tamen conditis, & ſtatutis D. Clemens Apoſtolorum coætaneus, S. Petri Succeſſor, & Diſcipulus regulas, vulgo *Canones Apoſtolorum* appellatas, in unum volumen græco idiomate collegit,

quas

quas poſtmodum tempore Juſtini Imperatoris Dionyſius cognomento Exiguus in latinum tranſtulit : & ſic ex traditionibus Apoſtolicis Canones manaſſe SS. PP. & Concilia teſtantur : qui Canones habentur tam in jure Canonico ante Decretales Gregorii IX. quam in Civili jure poſt conſtitutiones Imperatorias, quibus ſemper uſa eſt, hodieque utitur Eccleſia. Sunt autem tales Canones Apoſtolorum numero 84. in quo numero & in jure Canonico, & Civili ponuntur. Quod ſi vero Canon XII. in duos diſtinguatur, ut plures faciunt, erunt numero 85. ut perhibet *Can. Placuit* 4. *diſt.* 16. Et *can. quoniam* 7. *diſt.* 16.

Non levis hæſitatio eſt inter Theologos, ac Juriſperitos circa authoritatem Canonum Apoſtolorum, an nimirum ſint Authentici, & vim legis humanæ Pontificiæ habeant? Nonnulli enim cum Magdeburgenſibus heterodoxis hos Apoſtolorum canones velut adulterinos rejiciunt. Complures etiam ex Orthodoxis dicunt, licet in genere loquendo moraliter certum ſit dari Canones Apoſtolorum, authentice tamen de illa ipſa collectione, quæ in juris corpore cernitur, non conſtare; eam eſſe veram, & genuinam. Plures tamen Doctores affirmant, prædictos Canones eſſe authenticos, eoſque ab Eccleſia receptos eſſe tanquam ex Apoſtolicis traditionibus à D. Clemente collectos. Et hæc ſententia affirmans, utpote probabilior eſt ſequenda. Pro horum Canonum authoritate facit textus *in can. placuit* 4. *diſt.* 16. ubi expreſſe dicitur: *Placuit huic ſanctæ Synodo, ut amodo confirmata, & rata ſint Canonum Apoſtolorum* 85. *capitula*: eadem verba etiam *in can. quoniam.* 7. *diſt.* 16. referuntur, quibus ab Eccleſia recipiuntur Canones Apoſtolici, & approbantur tanquam authentici. Ratio eſt: quia certum eſt, quod Apoſtoli poteſtatem ligandi habuerint, dummodo certum eſſet, Canones hos ab Apoſtolis eſſe editos: editos autem ab iis eſſe, colligitur ex eo, quia omnes & ſinguli in poſterioribus conciliis fuerunt approbati: plurima enim conciliorum, & Pontificum decreta ſunt, in quibus tam *generaliter*, quam *ſpecialiter* approbantur, & recenſentur. Nam *generaliter* eos approbarunt Teleſphorus *Epiſt.* 1. *in princ.* Victor *Epiſt.* 1. *poſt princ.* Zephirinus *Epiſt.* 1. *circa medium.* Fabianus *Epiſt.* 1. *ante finem.* Nicolaus *ad conſulta Bulgar. cap.* 72. *Specialiter* vero eorum mine-

Digitized by Google

minerunt Concilia, & Pontifices: ut jam à tempore immemoriali, quinimo à pluribus ſæculis, ſcilicet poſt verſionem Dionyſii Exigui variis impugnationibus non obſtantibus in firma manſerint poſſeſſione, id eſt, ſuæ veritatis, & integritatis fama: ergo.

Quod ſi vero quæſtio ſit an hujuſmodi Canones ſint Canonici, & inter libros S. Scripturæ annumerentur, tunc omnino reſpondendum eſt, eos non eſſe Canonicos: quia nec ab ullo Romanorum Pontificum, vel Concilio Oecumenico pro talibus recenſentur, ut pro objecto partiali divinæ fidei recipiendi ſint, quemadmodum Scripturæ Canonicæ: imo noviſſimum, & accuratiſſimum Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. in decreto de Canonicis Scripturis omnes enumerat Scripturas Canonicas, nec tamen de canonibus ullam facit mentionem.

Dices 1. Gelaſius Papa *in can. Sancta 3. diſt.* 15. Canones Apoſtolorum inter libros apocryphos numerat: ergo non ſunt authentici. ℟. Gelaſium Papam in citato Canone *Sancta* non loqui de canonibus Apoſtolorum, prout modo reperiuntur: ſed de ſpurio quodam Canonum Apoſtolicorum libello ab hæreticis Priſcillianiſtis confiсto, & ab iis ſuppoſito, qui multa alia falſa ſub Apoſtolorum nomine divulgarunt. Quod hæc explicatio ſit genuina, patet ex eo, cum S. Gelaſius ex Canonibus Apoſtolorum ipſemet ſæpius mutuatus fuerit teſtimonium, & authoritatem teſte Baronio *Anal. Eccleſ. tom. 2. ad annum* 102. & Turiano *lib.* 1. *c.* 15.

Dices 2. In can. 1. diſt. 16. ex S. Iſidoro perhibetur, Canones Apoſtolorum *nec eſſe receptos à ſede Apoſtolica, nec à Patribus probatos*, ſed *ab hæreticis compoſitos ſub nomine Apoſtolorum, ſicque numerandos eſſe inter apocrypha, quamvis in eis utilia inveniantur*: ergo non ſunt authentici. ℟. Hæc contineri quidem in præfatione Iſidori ad collectionem conciliorum, quæ ex Bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ deſcripta Romam miſſa eſt: ſed in illa, quæ vulgatæ Iſidori collectioni præponitur, contrarium potius continetur, & refertur in ſequenti *can. placuit* 4. *diſt. eadem* 16. ubi expreſſe dicitur: *propter eorum authoritatem cæteris conciliis præponimus canones, qui dicuntur Apoſtolorum, licet à quibuſdam apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, & SS. Patres*

co-

eorum ſententias Synodali authoritate roborarunt, & inter Canonicas poſuerunt conſtitutiones.

Dices 3. Magna Doctorum, & opinionum varietas eſt circa numerum Canonum Apoſtolorum: ergo non ſunt, vel ſi ſunt, ſaltem non ſunt omnes authentici. Ant. prob. *In cap. ſexaginta 2. diſt.* 16. Zepherinus Pontifex ſexaginta agnoſcit canones: expreſſe enim dicitur: *ſexaginta ſententias Apoſtoli præſcripſerunt* Similiter Leo IX. Papa *in can. Clementis* 3. *eadem diſt.* 16. quinquaginta Canones tantum agnoſcit, & reliquos inter apocrypha numerat: qui numerus quinquagenarius etiam apud Dionyſium cognomento Exiguum reperitur, à qua ex græco in latinum tranſlati ſunt. Item in can. placuit 4. diſt. 16. habentur Canonum Apoſtolorum 85. Capitula: & tamen hoc non obſtante in corpore juris recenſentur tantum 84. Ergo. ℟. Cum dicti Canones non fuerint ab Apoſtolis conſcripti, ſed tantum traditi, eos diverſimode fuiſſe relatos, congeſtos, & approbatos: quandoque enim unus duas aut tres ſententias continebat: unde aliquando ſub numero 50. approbantur: aliquando ſub numero 60. aliquando ſub numero 85. Unde omnis hæc variatio provenit ex diverſitate editionum dictorum Canonum: inſtantia ſumi poteſt à numero librorum, & titulorum juris feudalis: alii enim ponunt quinque, alii duos libros juris feudalis. Pro confirmatione autem dictorum Canonum extat vetus illorum collectio in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi: & ſub nomine Facundi Hermianenſis hæc referuntur formalia: *Sancti Domini Diſcipuli, & Apoſtoli* 85. *Canones per Clementem ediderunt.* Neque obſtat, quod in fine Decreti Gratiani, imo etiam in quibuſdam juris Civilis Corporibus poſt novellas conſtitutiones ponantur tantum 84. Canones: ſi enim Canon xii. in duos diſtinguatur, erunt omnino 85. ut perhibet dictus *can. placuit* 4. *diſt.* 16.

Dices 4. Canones Apoſtolorum non recenſentur in Concilio Tridentino: ergo non ſunt authentici. ℟. conc. Ant. neg. conſeq. quia ex eo, quod non recenſeantur in Tridentino *ſeſſ.* 4. *in decreto de libris canonicis*, tantum ſequitur, quod non ſint *Canonici*, quo tamen non obſtante ſunt *authentici*.

Dices 5. Inter Canones Apoſtolorum ſunt quidam, qui hæreſim ſapiunt, veluti canon 45. 46. & 67. quibus damnatur baptiſmus, & ordo ab hæreticis collatus: ergò non ſunt authentici. ℟. in dictis Canonibus reprobari baptiſmum, & ordinem tunc temporis collatos ab hæreticis contra formam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: qualis eſt baptiſmus in eadem canonum compilatione damnatus can. 48. & 49. Eandem ob cauſam etiam Concilium Nicænum I. reprobavit baptiſmum Priſcillhaniſtarum, juſſitque ab eis baptizatos, cum ad Eccleſiam reverſi fuerint, rebaptizari, ut liquet ex can. 19. hujus Concilii.

Inſtabis: Graviſſima controverſia ſæculo tertio circa annum 258. orta eſt circa baptiſmum ab hæreticis collatum. Nam Firmilianus Epiſcopus Cæſarienſis cum Aſiaticis, & S Cyprianus cum Africanis magno ardore contendebant, baptiſmnm ab hæreticis collatum eſſe nullum, atque irritum, ac conſequenter ab hæreticis baptizatos eſſe iterum baptizandos. Contra vero S. Stephanus ſummus Pontifex allegans traditionem, conſtanter illis reſtitit, & docuit, baptiſmum hæreticorum, ſi materiam & formam à Chriſto inſtitutam obſervent, eſſe validum, adeoque ab illis baptizatos non eſſe rebaptizandos. Certe cum Aſiatici, & Africani omnia conquirerent, quæ S. Stephano Papæ opponerent, non omiſiſſent pro ſe citare Canonem 45. Apoſtolorum: qui habet: *Epiſcopum aut Presbyterum, qui hæreticorum baptiſma, aut ſacrificium ſuſceperit, deponi præcipimus: quæ enim conventio inter Chriſtum, & Belial, aut quæ particula fideli, cum infideli*: ergo ℟. 1. Aſiaticos, & Africanos Epiſcopos non potuiſſe S. Stephano Papæ hunc Canonem Apoſtolorum objicere: nam ut mox dictum, per hunc Canonem tantum baptiſmus hæreticorum contra formam Eccleſiæ collatus eſt damnatus; non autem juxta formam Eccleſiæ collatus: adeoque non militaſſet contra S. Stephanum. ℟. 2. Hujuſmodi Argumenta negativa plerumque nihil probare: quia multa fieri potuerunt, quæ tamen ſcripto relicta non ſunt. Hæc eadem reſponſio datur AA. dicentibus, quod uſque ad medium tertii ſæculi nulla omnino Canonum Apoſtolorum habeantur veſtigia, aut indicia, nec eorum fiat mentio.

Di-

Digitized by Google

Dices 6. In Canone Apoſtolorum 65. plane inconveniens aliquid decerni videtur : dicitur enim ibi : ſi quis dominicum diem, aut ſabbathum, uno ſolo dempto, jejunare deprehendatur, deponitor: ſin laicus, à communione ejicitor. Ergo. ℟. Quod in hoc Canone prohibeatur jejunium, neutiquam inconveniens eſſe: id enim à principio naſcentis Eccleſiæ contigit, ne vel Judæi ob reverentiam ſabbathi à fide Chriſtiana abhorrerent: vel hæretici antiquam legem ceu nutritivam, aut præceptivam mali traducerent. Similiter quod jejunium die Dominico ſit vetitum, error hæreticorum diem illum in jejunio & planctu ad invidiam Catholicorum obeuntium exigebat. Pro temporum igitur, & circumſtantiarum varietate, quæ in ſe bona, & laudabilia ſunt, vitari poſſunt, & debent. Sic tempore Gelaſii Papæ, ut refert Baronius ad annum Chriſti 496. præceptum erat omnibus Chriſtianis Euchariſtiam ſumere ſub utraque ſpecie, ut ſic dignoſcerentur Manichæi, qui ſub ſpecie vini communicare nolebant, eo quod vinum tanquam creaturam malam à diabolo productam abominarentur: qua cauſa ceſſante præceptum illud reſpectu laicorum non modo fuit ſublatum, ſed etiam in prohibitionem ex aliis motivis converſum: quidni idem fieri potuit circa jejunium ſabbathinum.

Dices 7. Nulla publica, & ſpecifica confirmatio, atque approbatio oſtendi poteſt, quæ fidem faciat, iſtam determinatam collectionem Canonum Apoſtolorum, quæ in corpore juris edicta habetur, eſſe Clementis: ergo. ℟. Confirmationem utique publicam & ſpecificam non habemus hanc determinatam collectionem eſſe genuinum S. Clementis partum: alias non tantum poſſeſſio legitimitatis eorundem, ſed & ipſa proprietas probata, imo & demonſtrata eſſet.

Obſervandum 4. Cum in univerſo mundo propagata eſſet Eccleſia Catholica, iterata, & frequentata ſunt concilia: latæ, & multiplicatæ conſtitutiones Pontificiæ: petita, & edita Reſcripta &c. quam plures Canonum Compilationes à diverſis Authoribus, præſertim ex Ordine D. Benedicti, ut puta Martino Bracharenſi in Hiſpania circa annum 570. Circa hujus Authoris compilationem advertendum, Canones omnes, qui ex dicta collectione transſcripti ſunt, apud Gratianum plerumque citari ſub nomine Martini

Pa-

Papæ, cum inſcribendus eſſet, Martinus Epiſcopus Bracharenſis. Item alia Canonum Compilatio prodiit ab Iſidoro: quæ, an ſit Iſidori Hiſpalenſis, an vero Iſidori Mercatoris, acriter diſceptant Hiſtoriographi Eccleſiaſtici. Licet enim apud Gratianum continuo allegetur Iſidorus Ethymologiarum Author, qui ex communi fama fuit ipſemet S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus: dubiam tamen rem facit, quod dicta collectio ultra tempus vitæ hujus S. Doctoris progrediatur: cum etiam Concilii Toletani XI. Anno 675 celebrati: & ſextæ Synodi generalis Anno 681. habitæ meminerit: imo vero etiam Gregorii II. & III. ac Zachariæ SS. PP. primum in octavo ſæculo Eccleſiam rexerunt, Epiſtolas recitet, ubi tamen ipſe S. Iſidorus jam anno 636. deceſſit. Nihilominus pro hoc S. Doctore ſtat Eccleſiæ authoritas in lectionibus Breviarii ad ejus feſtum 4. Aprilis. Unde ad prædictam antilogiam Chronicam tollendam, dicendum, quod quidem collectio illa S. Canonum primo facta ſit à S. Iſidoro Hiſpalenſi, poſt ejus mortem vero pluribus additamentis aucta ſit ab Iſidoro Mercatore Setubenſi Epiſcopo: quem alii potius dicendum volunt Iſidorum peccatorem, quo nomine demiſſionis ergo in ſuis Epiſtolis ſe ſubſcripſit, per errorem dein lectus Mercator. Aliam rurſus collectionem adornavit Burchardus Epiſcopus Wormatienſis ſub Henrico Imperatore Anno 1020. Aliam Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, qui eodem tempore ſub Gregorio VII. inclaruit. Demum aliis celebrior, hodieque in ſcholis, & foro recepta eſt compilatio Gratiani Monachi Bononienſis ex ordine D. Benedicti: quo autem anno, eſt incertum: alii annum 1127. alii 1141. alii 1151. aſſignant. Communi nomine appellatur *Decretum* vel ſimpliciter, vel cum addito Gratiani. Vocatur etiam hæc collectio *Concordia diſcordantium Canonum*: ex ratione, quod Gratianus ipſorum Canonum vel veram, vel apparentem contrarietatem tollere, & ad conſonantium revocare intenderit.

PARA-

PARAGRAPHUS QUINTUS,

DE

PARTIBUS JURIS CANONICI CLAUSI.

OBſervandum 1. Libri Juris Canonici alii ſunt in corpore juris clauſi, hoc eſt, qui defacto in corpore juris Canonici inveniuntur: alii vero ſunt, qui extra corpus juris vagantur, ſeu extra illud reperiuntur. Ad corpus juris Canonici clauſi pertinent, illudque conſtituunt 1. *Decretum Gratiani.* 2. *Quinque libri Decretalium Gregorii IX.* 3. *Sextus Decretalium Bonifacii VIII.* 4. *Decretales Clementis V.* 5. *Extravagantes Joannis XXII.* 6. *Extravagantes Communes*, id eſt, aliorum Summorum Pontificum. Ex his ergo ſex Partibus conſtat univerſum jus Canonicum, ſeu Corpus juris Canonici. Sunt quidem alia huic corpori coimpreſſa, & colligata: videlicet *Canones Apoſtolorum: Canones pænitentiales, liber ſeptimus Decretalium* Petri Matthæi, *Inſtitutiones* Lancelloti, & *loci communes* incerti Authoris. Tribus tamen ultimis, cum deſit authoritas Pontificia, conſequenter etiam deficit ad rationem juris ſufficiens authoritas: imo dicti loci communes potius habent formam indicis, quam novæ collectionis Canonum. De Canonibus Apoſtolorum jam egimus in præcedenti §. De Canonibus pænitentialibus agemus in præſenti §. Extra Corpus juris Canonici ſunt *Concilium Tridentinum: Declarationes Cardinalium* ejuſdem Concilii interpretum: *Bullarium Romanum*: *Deciſiones Rotæ Romanæ*, & *Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ.* De quibus in ſequenti §.

Obſervandum 2. Prima ergo pars, quæ conſtituit jus Canonicum, eſt Decretum Gratiani: quod in ſe continet IV. Partes. In prima parte agitur per centum & unam diſtinctiones diviſas in canones (quia in decreto Gratiani præſtat dicere *Canones*, non *Capitula*, ad differentiam Decretalium, & aliorum, quæ ſunt extra decretum Gratiani) de jure legali in genere, & in ſpecie: de origine, differentia, & requiſitis officiorum, & Miniſteriorum

Eccleſiaſticorum : de examine, moribus, ordine, qualitatibus, & impedimentis ad illa promovendorum: de vita, honeſtate, & obligatione Epiſcoporum, & Clericorum : de illorum promotione, electione, ordinatione, &c. Et hæc Decreti prima pars hoc modo ſolet citari v.g. *C. Conſuetudo D.* 1. Per *D.* diſtinctio : per *C.* Canon : per verbum vel nomen adjectum initium Canonis ſignificatur. Unde ſic legitur. *Canone conſuetudo : diſtinctione prima :* aut *Canone* 1. *qui incipit conſuetudo, diſtinctione prima.* Interdum etiam apponitur numerus Canonis v.g. *Can. mala conſuetudo* 3. *diſt.* 8. ſic legitur *: Canone* 3. *incipiente mala conſuetudo, diſtinctione octava.* In ſecunda parte per 36. cauſas diviſas in quæſtiones, & ſubdiviſas in Canones examinantur variæ quæſtiones, & negotia tum inter laicos, tum Eccleſiaſticos controverſa. Et hæc Decreti ſecunda pars hoc modo citari ſolet v.g. *C. ſi quis ſuadente* 17. *q.* 4. ſic legitur *: Canone, ſi quis ſuadente, cauſa decima ſeptima, quæſtione quarta.* Hic advertendum, quod vocabulum *cauſa* plerumque non exprimatur ſcripto, ſed tantum pronuntietur : ut ergo ſciatur, num cifra indicet numerum cauſæ, vel Canonis, & qualem, attendendum eſt, utrum ſequatur litera q. ſeu *quæſtio :* quotieſcunque enim ſequitur litera q., ſeu quæſtio, tunc hanc literam præcedens cifra etiam ſolitarie poſita ſignificat quotam cauſæ, non Canonis. Solet etiam ſic citari v.g. 12. *q.* 1. *C. expedit :* ſic legitur *: Cauſa duodecima, quæſtione prima, Canone expedit.* Aliter etiam ſic citari ſolet v.g. *Can. ſciſcitaris* 47. *VII. q.* 1. ſic legitur : *Canone quadrageſimo ſeptimo, qui incipit ſciſcitaris, cauſa ſeptima, quæſtione prima.* In tertia parte tractatur de *Pœnitentia :* quæ includitur in cauſa 33. q. 3. Et habet ſeptem diſtinctiones diviſas in canones, cum addito *de pœnitentia*, ut diſtinguatur à prima & quarta parte, quæ etiam continent diſtinctiones. Et hæc pars tertia ita ſolet citari v.g. C. cogitationis diſt. 1. de pœnitentia. Sic legitur : Canone cogitationis, diſtinctione prima de pœnitentia. Item *C. lavamini. diſt.* 3. *de pœnit.* legitur : *Canone incipiente lavamini, diſtinctione tertia de pœnitentia.* In quarta denique parte per 5. Diſtinctiones diviſas in canones nervoſe tractatur de Conſecratione, & Eccleſiæ Sacramentis. Hæc quarta pars ita citari ſolet v.g. *Can. perlatum. diſt.* 3. *de Conſecrat.* ſic legitur *: in Canone incipiente perlatum diſtinctione tertia, de conſecratione.*

Obſervandum 3. Decretum hoc Gratiani non eſſe univerſim authenticum, ita ut ſecundum omnia, quæ in eodem continentur, vim legis obtineat. Ratio eſt: quia Gratianus tanquam Doctor & perſona privata eidem Decreto vim juris, & authoritatem legis Eccleſiaſticæ dare non potuit: nec ab aliquo Pontifice ei tanta vis legitur fuiſſe communicata: ergo. Propter emendationem tamen & correctionem juſſu & authoritate Gregorii XIII. hujuſque Pontificis approbationem meretur fidem, quod Canones ibidem allegati cum ſuis originalibus, aut veteribus codicibus, ac ſcriptis inventis, ſeu autographis ſine errore, aut falſitate correſpondeant: itaque defacto Decretum Gratiani ſaltem vim habet *authentici exemplaris, & tranſumpti.* Et vel ideo Canones in hoc decreto contenti illam faciunt probationem, quam faciunt ipſi fontes, & originalia, juxta quæ fuerunt emendati: cum illi Canones revocari debeant ad primævam authoritatem, id eſt illam, quam à ſuis conditoribus acceperunt. Hinc cum hoc Decretum Gratiani componatur 1. Ex Scripturis ſacris. 2. Ex conſtitutionibus ſummorum Pontificum. 3, Ex canonibus Conciliorum Generalium. 4. Ex Decretis & Sanctionibus Conciliorum Provincialium. 5. Ex dictis SS. Patrum. 6. Ex Legibus Imperialibus. 7. Ex dictis & reſolutionibus ipſiuſmet Gratiani: itaque ſi Gratianus referat textus S. Scripturæ v. g. præcepta à Chriſto, vel ab Apoſtolis tradita, vel traditione legitima ad nos uſque deducta: ea authoritatem juris, ligandique poteſtatem habent. Si ſummorum Pontificum, vel Conciliorum Generalium à Pontifice confirmatorum conſtitutiones alleget: illæ etiam vim legis, & authoritatem deciſivam obtinent ex ſuppoſito, quod emendatores in memoratis notis, nempe textibus in Decreto ſubjunctis, affirment, earundem conſtitutionum originalia fuiſſe inventa; quia quemadmodum ipſa originalia, ſi exhibeantur, vi deciſiva pollent, ita & tranſumptum ipſorum authenticum. Si vero Canones, & conſtitutiones alleget (etſi Pontificum, aut univerſalium Conciliorum nomen præſeferant) quarum originalia non fuerunt reperta, ſed vel alii tantum antiqui Codices, aut ſcripta, vel de quibus plane neſcitur, unde fuerunt extractæ, nequeunt dici abſolute authen-

Digitized by Google

ticæ: ſicut enim ipſi Codices, quamvis antiqui, authentici non ſunt, ita nec tranſumpti Canones, aut conſtitutiones, multo minus illæ, quarum ſedes nos latet: interim licet tales Canones & conſtitutiones abſolutam fidem non faciant: tamen ex uſu inducto in ſcholis & foro Eccleſiaſtico eiſdem defertur, niſi de errore aut conſtet, aut urgentiſſima ſit ſuſpicio. Si Gratianus afferat decreta, & Sanctiones Conciliorum Provincialium, quando pro tota Eccleſia fuerunt à ſummo Pontifice generaliter approbata, & ad imitandum in Eccleſiaſticis judiciis propoſita, uti de pluribus hujuſmodi Conciliis à Leone IV. factum fuiſſe legitur in Can. de libellis 1. diſt. 20. tunc rationem juris univerſalis habent: alias tantum in particulari loco & Diœceſi vim obtinent. Si Gratianus adducat dicta SS. Patrum v.g. S. P. Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi: magnæ quidem authoritatis, non tamen abſolute infallibilia, & deciſiva cenſentur, niſi quatenus à ſummis Pontificibus recepta, & approbata ſunt: cum in materiis diſputabilibus, & judicialibus SS. Patres plerumque ut privati Doctores locuti, & ſæpius ſibi invicem contradicentes fuerint, ut ex can. 1. & 2. diſt. 26. apparet. Similiter etiam, ſi Sanctiones Pontificum non animo obligandi latæ ſint, ſed tantum animo tanquam à privatis Doctoribus conſcriptæ, vim obſtringendi non habent: ſicut Gregorius Magnus, & Innocentius III. multa ſcripſerunt Decreto Gratiani inſerta, pro inſtructione, & directione, non pro legibus habenda. Si Gratianus referat leges Civiles, & conſtitutiones Imperatorias, illæ eatenus in foro Eccleſiaſtico obſervandæ erunt, quatenus ſupplent defectum juris Canonici, & non contrariantur immunitati Eccleſiaſticæ. Si Gratianus propriam ſententiam ponat: ea probabilis ſolum habebitur: uti & aliorum privatorum Authorum. Pro approbatione totius Decreti Gratiani.

Dices 1. Decretum Gratiani approbatum fuit ab Eugenio III. Sixto III. imo & Gregorio XIII. Ergo. ℟. neg. ant. quia nullibi apparent Bullæ Eugenii III. & Sixti III. Gregorius vero XIII. ut ait Rota deciſ. 480. *ſua conſtitutione Gratiani librum non authentizavit, cum ſolum emendari juſſerit, & emendationes ſine additionibus, aut detractionibus mandaverit obſervari.*

Di-

Dices 2. Si in Decreto Gratiani reperirentur ſpuria, & contradictiones, aut perplexitates ob errores, qui in illud volumen irrepſerunt, jam ſublati fuerunt per Gregorium XIII. qui illud tradidit purgandum viris doctis ab omnibus mendis, ut conſtat ex ejus Epiſtola in princ. Decreti appoſita: ergo dubitari non poteſt, volumen hoc eſſe ab ipſo Pontifice approbatum: *Cum omnia noſtra faciamus, quibus noſtram impertimur authoritatem L.* 1. *Cod. de veteri jure enucleando.* ℟. Tranſeat ant. neg. conſeq. quia Correctores hoc præſtiterunt, ad quod erant conſtituti: collatis nempe variis exemplaribus textum Decreti, quoad fieri valebat, caſtigarunt: ſed vim legalem eidem nec ipſi dare potuerunt: nec hoc Pontificem voluiſſe ex ipſa eorum conditione, & Pontificis propoſito aperte colligitur.

Dices 3. Decretum Gratiani cum ſcientia, & tolerantia Pontificis quotidie allegatur, & in ſcholis publice exponitur. 2. Ipſi Romani Præſules illud ſæpius citarunt. Ut Alexander III. *in cap.* 6. *de deſponſ. Impub.* Clemens III. *C.* 25. *de Jure Patronat.* Iterum Alexander III. *cap.* 9. *de teſtam.* Ergo. ℟. ad 1. Conc. ant. neg. conſeq. quia hæc omnia non tribuunt majorem authoritatem Canonibus Gratiani, quam in autographis ſuis habeant. ℟. ad 2. Pontifices in citatis capitibus ſola decreta Canonum memorant, neque Gratiani mentionem faciunt: conſtat autem tam ante, quam poſt Gratianum varios Canones prodiiſſe vim legis habentes, quin eandem in Decretum Gratiani univerſaliter refundant.

Dices 4. Licet Decretales Gregorii IX. à Raymundo ejuſdem Pontificis Capellano, & Pœnitentiario ſint collectæ. Item quatuor libri Inſtitutionum Imperialium à Triboniano, Dorotheo, & Theophilo Doctoribus ſint compoſiti: nihilominus tamen hi libri indubitanter legis authoritatem obtinent: ergo etiam licet Decretum Gratiani à Gratiano compilatum ſit, tamen authoritatem legis habebit. ℟. Conc. ant. neg. conſeq. diſp. eſt: quia Decretales Gregorii IX. & quatuor libri inſtitutionũ non à dictis privatis compilatoribus, ſed à Pontifice, & Imperatore, quorum juſſu, & mandato compoſiti ſunt, ſuam authoritatem deſumunt, qualem authoritatem Gratiano in componendo ſuo libro non conſtat datam fuiſſe: Sicut à pari: antiquitus certi Juriſperiti, & Doctores fuerunt, quibus ab Impera-

tore authoritas de jure reſpondendi, & dubias quæſtiones decidendi dabatur, eorumque deciſiones *reſponſa prudentum* dicebantur, & pro lege cuſtodiebantur *§. 8. Inſt. de J. N. G. & Civ.* Ex quibus prudentum reſponſis 50. Digeſtorum libri repleti ſunt: cæteri vero Doctores, qui talem poteſtatem à ſummo Principe non habent, per ſuas reſponſiones jus aliquod facere non poſſunt, ſed tantum præexiſtens allegare, & probabilibus rationibus confirmare.

Dices 5. Licet aliquæ Decretales Epiſtolæ in collectione Decretalium à Raymundo ſint compilatæ, quæ non reperiuntur inter Epiſtolas Innocentii III. aut Alexandri III. tamen habent vim legis: ergo etiam licet à Gratiano in Collectione ſui Decreti aliqui Canones à Pontificibus non approbati reperiantur, tamen habebit vim legis. ℞. Conc. ant. neg. conſeq. diſp. eſt: quia cum totum Corpus Decretalium à Gregorio IX. ſit approbatum, in dubium revocari non debet authoritas illarum Epiſtolarum Decretalium: totum corpus Decreti Gratiani autem à nullo Pontifice legitur approbatum: ergo.

Dices 6. Pontifex in approbatione præfixa in fronte Decreti Gratiani, intitulat hoc Decretum *Jus Canonicum:* verba ejus ſunt: *Nos opportune providere volentes, ut hoc jus Canonicum ſic expurgatum ad omnes ubique Chriſti fideles ſartum perveniat*: ſed Jus Canonicum ſimpliciter habet vim, & authoritatem legis Eccleſiaſticæ: ergo. ℞. Decretum Gratiani vocari quidem à Pontifice Jus Canonicum, ſed non ſecundum omnes & ſingulas partes, verum ſolum ſecundum eas, quæ de ſe natæ ſunt habere vim legis Eccleſiaſticæ: ob quas etiam defacto agnoſcitur eſſe pars prima univerſi Juris C. nonici in corpore Juris clauſi.

Dices 7. Non minus in fronte Decreti Gratiani conſpicitur approbatio ſummi Pontificis ſecundum omnes ſui partes, ac in fronte Decretalium: ergo ſi hæ ſunt authenticæ, & vim legis habent quoad omnes ſui partes: etiam hoc Decretum Gratiani. ℞. Conc. ant. neg. conſeq. quia magna intercedit diverſitas inter approbationem Decreti & Decretalium: nam in Decretalibus approbatio cadit ſuper ipſa contenta ſub nomine Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Epiſtolarum Decretalium: in Decreto vero non

cadit

cadit approbatio ſuper ipſa contenta, ſed tantum ſuper emendationem prohibendo, ne aliquid addatnr, mutetur, vel imminuatur, abſque eo quod omnia, & ſingula in eo contenta ullo verbo approbentur, vel confirmentur.

Dices 8. Si ea, quæ in Decreto continentur, tantum autographorum auctoritatem habent, ſequitur, quod non ſit major auctoritas Decreti Gratiani, quam Bullarii Romani: nam etiam conſtitutiones in iſto contentæ ad primævam ſuam authoritatem revocantur, & autographorum vim habent: atqui ſequela eſt abſurda: quia Decretum Gratiani habet in ſcholis publicum uſum, & in judiciis, imo ab ipſis ſummis Pontificibus in ſuis poſterioribus conſtitutionibus allegatur: non autem Bullarium Romanum: ergo. ℟. neg. ſeq. quia Decretum Gratiani propter approbationem Gregorii XIII. ſaltem hoc habet, quod mereatur omnimodam fidem, Canones in ipſo relatos cum ſuis correſpondere originalibus; ideoque illa ſaltem, quæ ex Pontificum, & Conciliorum Generalium Decretis in ipſum relata ſunt, vim legis habere: quantam tamen fidem ob defectum ſimilis approbationis Bullarium Romanum non habet: ideoque niſi Bulla abunde probari poſſit eſſe authentica, ei in judicio fides non habetur.

Dices 9. Decretum Gratiani juxta Dicta non habet majorem vim, quam originalia: atqui non omnia illa originalia habent vim legis pro tota Eccleſia: ergo nec Decretum Gratiani, etſi ad primævam revocetur authoritatem. min. conſtat. quia plures, & forte plerique Canones non tam ſunt conſtitutiones univerſales, quam reſcripta ad caſus ſingulares, & privatorum ſolum conſultationes: aut ad jus, quod partibus tantum litigantibus fuit redditum. ℟. Et hos Canones univerſim eſſe recipiendos, ut expreſſe ſtatuitur *in Can. ſancta 3. diſt. 15. Item Decretales Epiſtolæ, quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab Urbe Romana pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendæ ſunt.* Quod idem dicitur *in can. 1. verſus fin. diſt. 19. Can. omnia Decretalia 12. cauſ. 25. q. 1.* Item *cap. ex multa 9. de voto.* in quo ultimo Innocentius III. ſic ad Cantuarienſem Archi-Epiſcopum ſcribit: *Ex conſultatione quam ad inquiſitionem tuam ſuper negotio crucee ſignatorum olim edidimus, viam inveniſti ad alias quæſtiones, & utrum, quod in ea*

dici-

dicitur, Jus conſtituat generale. &c. Ad hoc igitur reſpondemus, quod in conſultatione noſtra jus editur.

Dices 10. Hos textus citatos eſſe intelligendos de reſcriptis, & Epiſtolis Decretalibus Pontificum, quibus *jus dubium* antea jam conſtitutum ſolum declaratur: non vero de Epiſtolis *Jus novum* continentibus, quarum plures ſunt Decreto Gratiani inſertæ: hæ quippe, quando ad ſolas privatorum interrogationes emanarunt, vim legis univerſalis habere nequeunt: cum omne *Jus novum*, ut univerſim obliget, debeat publice promulgari, qualiter non fuerunt promulgatæ Epiſtolæ ad privatos reſcriptæ. ℟. Cum clariſſimo P. Böckn: textus adductos ſine diſcrimine loqui de *omnibus Decretalibus* ad aliorum conſultationem ſcriptis, quarum tamen pleræque (ut ex corpore juris cernitur) juris novi conſtitutivæ ſunt, cum jura anteriora non habeantur. Et in cit. *cap. ex multa.* Pontifex ad propoſitum dubium, utrum, quod ad conſultationem ab eo reſpondetur, *Jus conſtituat Generale*? abſolute decidit: *quod in conſultatione noſtra jus editur*: ut adeo pateat, quod dictis Decretalibus jus edatur, & conſtituatur, nec mere jus conſtitutum declaretur. Promulgatio autem tam ſolemnis, & publica, qualis hodie uſurpatur, priſco illo ævo moris non erat, imo nec ſemper poterat ſaltem commode fieri ob perſecutiones fidelium: aut quia Pontifices ob frequentiam emergentium caſuum (cum nondum fuerit jus pleriſque negotiis præfinitum) continuo requiſiti ſingulas Epiſtolas promulgare nequierant: reſpondentium tamen Pontificum voluntas fuit determinare, quid in ejuſmodi caſibus ſit obſervandum ab omnibus, & in omni loco, non à particulari perſona, vel loco. Imo vicem promulgationis tunc ſubiit divulgatio, & traditio.

Obſervandum 4. Quibuſdam Decreti Gratiani Canonibus hanc vocem: *palea* præfigi: quæ paleæ nihil aliud ſunt, quam additiones quædam Decreto Gratiani inſertæ. Et hæ paleæ (ſive à Diſcipulo Gratiani Palea dicto: ſive Cardinali alicui inſcriptæ) probabilem tantum, ut aliorum Doctorum aſſertiones, authoritatem habent.

Obſervandum 5. In fine Decreti Gratiani legi 47. Canones *pœnitentiales* ex variis juribus collectos; qui ſunt quædam regulæ dire-

directivæ ad pœnitentias delinquentibus imponendas. Verum noſtra ætate, frigeſcente namque mundo, & charitate, in deſuetudinem venerunt, & jam effectum illorum ſupplet Indulgentiarum multitudo, quanta tunc temporis nondum fuerat, quo hi Canones conditi fuerant, & vigebant. Et licet dicti Canones hodie in uſu non ſint: eorum tamen notitia viris Eccleſiaſticis valde neceſſaria eſt, ut Confeſſarii peccatorum gravitatem agnoſcant, & pro arbitrio ſibi relicto pœnitentiam ſalutiferam pœnitentibus imponant. Utile proinde erit hos Canones pœnitentiales ſæpius relegere, & mente revolvere.

Obſervandum 6. Poſt Decretum Gratiani, quod in reverentiam antiquitatis primam in corpore Juris ſedem accepit, plures adhuc compoſitæ fuerunt collectiones uſque ad Gregorii IX. tempora, quæ tamen in corpus juris Canonici non fuerunt illatæ. Demum ne tam diverſa volumina comfuſionem parerent, & aliquando ſua Canonum certitudo in Scholis, ac foro haberetur: Juſſu Gregorii IX. ejuſque Authoritate S Raymundus de Pennafort ejus Capellanus & Pænitentiarius Ord. Præd. reſectis ſuperfluis novas illas compilationes in unam redegit, ipſiuſque Gregorii Conſtitutiones addidit: & hoc eſt opus Decretalium in V. libros: his in titulos: iſtis in capita vel capitula diſtributum. Et hi libri hodiedum publice in Scholis exponi ſolent. Hoc opus ſortitur nomen Decretalium, quia ejus maxima pars ex Epiſtolis Decretalibus Innocentii III. & Alexandri III. Pontificum juriſperitiſſimorum, ac aliorum Pontificum deſumpta eſt. Publicatum fuit hoc opus 1334.

Obſervandum 7. *In primo libro Decretalium*, poſtquam ſummus Pontifex de conſtitutionibus, reſcriptis & conſuetudine, adeoque in genere de obligatione juris ſcripti, & non ſcripti, ſive conſuetudinarii præmiſit, mox tractat de electione Prælatorum, ordine Clericorum, poteſtate, & jurisdictione Judicum Ordinariorum, & delegatorum, & arbitrorum, pactis etiam & tranſactionibus, item reſtitutionibus judicialibus. *In ſecundo libro* totus proceſſus judiciarius in prima, & ſecunda inſtantia traditur, qui propter bonum ordinem, & æquitatem in utroque foro tam Sæculari, quam Eccleſiaſtico, obſervatur. *In tertio*

libro agitur de vita, & honeſtate Clericorum, de beneficiis Eccleſiaſticis, de feudis, & pleriſque contractibus tam ſuper rebus Eccleſiaſticis, quam profanis, & laicalibus: item de decimis, ſepulturis, aliiſque juribus, & immunitatibus Eccleſiarum. *In quarto libro* Cauſæ, & quæſtiones matrimoniales deciduntur. *In quinto denique libro* diverſa delicta cum modo accuſandi, inquirendi, ac puniendi recenſentur. Item pro Coronide de verborum ſignificatione, & regulis juris agitur: quæ materiarum ſumma hoc verſiculo indicatur: *Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.*

Obſervandum 8. In citatione Decretalium Gregorii IX. Initium, vel numerus capituli, & ſimul titulus allegatur v. g. *C. ex literis, titul. de conſuetudine*: legitur ſic: *capite ex literis, titulo de conſuetudine*: quidam etiam omittunt particulam illam *cap.* & ponunt tantum principium capitis v. g. ex literis, titulo de conſuetudine. Titulus autem ſi notus non eſt, proprio indice titulorum (qui plerumque ad principium Decretalium habetur) inquirendus eſt, ut ſciatur, in quo libro, & quoto ejus libri numero ſit poſitus. Antiquitus quando ſoli erant Decretales Gregorii IX. iique ſeparatim, & extra Decretum Gratiani, ſemper ad allegationem tituli ſolebat addi hæc particula *extra*, & quidem brevitatis cauſa hoc ſigno X etiam nulla librorum mentione facta v. g. *C. 1.* X *de elect.* Item *C. quoties* X *de pactis*: quaſi eſſent extra Decretum Gratiani, quod prius tempore fuit: quæ particula etiamnum hodie, quando in uno Corpore juris ſunt Decretum, & Decretales, nonnunquam uſurpari ſolet: & per eam proprie Decretales Gregorii IX. indicantur, ad diſtinctionem aliarum partium, ne quis exiſtimet, per illam particulam X *Extravagantes* deſignari.

Obſervandum 9. Decretales Gregorii IX. habere vim & authoritatem juris Eccleſiaſtici indubitati, ac deciſivam in judiciis. Ratio eſt: quia hæ decretales una cum textibus in iis contentis juſſu, & authoritate ſummi Pontificis fuerunt compilatæ, editæ, approbatæ, & promulgatæ, atque pro norma in judiciis, & ſcholis tenen-

nendæ propoſitæ, ut docent in fronte Decretalium appoſitæ literæ: ergo. Contra hoc obſervandum.

Dices 1. In Decretalibus Gregorii IX. reperiuntur quædam Decretales Innocentio III. & Alexandro III. adſcriptæ, quæ tamen inter eorum Epiſtolas non reperiuntur: ergo ſunt ſuppoſititiæ, adeoque vim legis habere nequeunt. ℞. Quod licet aliquæ Decretales, ſeu capitula non reperiantur inter epiſtolas dictorum Pontificum (uti dicitur eſſe textus *in cap. translato.* Item *cap. Ne innitaris. de conſtitut.* pluresque alii) nihilominus tamen ea obligent ex eo, quia Gregorius IX. hæc omnia approbavit: ſicut vim legis habent ea, quæ in jure Civili approbavit Juſtinianus. Imo licet aliquæ deciſiones in Decretalibus relatæ in nullis Pontificum, aut Conciliorum libris reperiantur, ut textus *in cap. Nullus.* Item *cap. miramur de ſervis non ordinandis.* Item *cap. de prudentia. de donat. inter virum &c.* nihilominus tamen illæ propter eandem rationem authoritatẽ juris habent: quia cum in libris Decretaliũ authoritate Gregoriit IX. compilatis reperiantur, approbatæ ab ipſo exiſtunt. Pariter capitula in Decretalibus reperta, quæ ex Conciliis mere Provincialibus transumpta ſunt, uti *cap. nulli 5. de rebus Eccleſ. alien.* Item *cap. nullus 1. de pignor. &c.* vim legis univerſalis habent, non quidem, ut ſunt Canones Conciliorum Provincialium, ſed ut modo ſunt textus juris communis.

Dices 2. Gregorius IX. in ſuo proæmio profitetur poſito ante Decretales, ſe ſuas Decretales edidiſſe reſectis ſuperfluis, ut iis, quæ *propter nimiam ſimilitudinem, & quædam propter contrarietatem &c. confuſionem inducere videbantur.* : & tamen ipſemet contrarias ſibi decretales ſuæ compilationi inſeruit, ut patet conferenti *cap. quia nonnulli 3. de Cler. non reſid.* Cum *cap. referente 7.* & cum *cap. de multa 28. de præb.* Item *cap. relatum 19.* cum *cap. ſeq. de offic. deleg.* Atqui inter Decretales contrarias nequeunt ambæ ſimul habere vim legis: ergo. ℞. Quod ſi Gregorius ſuæ compilationi contrarias ſibi Decretales inſeruerit, quæ ad invicem conciliari nequeant, hoc ideo fecerit, ut indicaret, quid pro diverſis temporibus de jure obſervandum fuerit, ne, ſi ultima ſolum conſtitutio juri communi insereretur, praxis prior contraria, quæ tamen jus illius temporis pro ſe habuerat, damnaretur ini-

nedictus IX. immediate: quia vero is nonniſi menſibus octo ſedit, ideo dicunt Canoniſtæ, quod eidem ſucceſſerit Clemens V. qui eodem ſervato ordine multas conſtitutiones tum in Concilio Vienneſi in Gallia ſub ſuo præſidio anno Chriſti 1310. celebrato, tum etiam ante, & poſt illud à ſe editas in unum congeſſit volumen, quod tamen morte præventus in lucem edere non poterat. Quare Joannes XXII. ejus Succeſſor dictas Clementinas anno Chriſti 1317. evulgavit, & Apoſtolica authoritate pro judiciis, & ſcholis roboravit, ut patet ex proœmio Clementinarum: adeoque non minus ac Decretales Gregorii IX. & Bonifacii VIII. Sextus Decretalium vim legis obtinent. Continentur autem Clementinæ in V. libris diviſis in titulos, & capitula: citantur uti Decretales Gregorii, & Sextus Decretalium Bonifacii VIII. cum hac ſolum ab iis differentia, quod citationi addatur *in Clementinis*. v.g. *Exivi de Paradyſo Clement. un. de V.S.* legitur ſic: *Exivi de paradyſo, Clementina unica, de verborum ſignificatione.* Vel ſic: *C. dudum de ſepult. in Clem.* legitur ſic: *Capite dudum titulo de ſepulturis, in clementinis.* Item *C. ſicut de Appellat. in Clem.* legitur ſic: *In Clementinis, capite ſicut: titulo de Appellationibus.* Quando autem ponitur *Clem. un. legitur in Clementia unica*, quia titulus ille habet tantum unum capitulum, vel ad ſummum duo capitula: ut *Exivi de Paradyſo* &c. Liber, capitulum, & titulus Clementinarum æque reperitur in indice titulorum poſito ante Decretales Gregorii IX.

Obſervandum 13. *Quinta* denique & *Sexta* pars juris Canonici clauſi ſunt *Extravagantes Joannis XXII.* Et *Extravagantes Communes.* Poſt Clementinas enim promulgatas Joannes XXII. ſuas edidit conſtitutiones numero 20. Illo defuncto anno Chriſti 1334 à ſubſequentibus Pontificibus variæ adhuc prodiverunt conſtitutiones, quæ cum non mererentur proprium voluminis nomen ob paucitatem, & quia antehac extra Corpus juris incerta quadam ſede vagabantur, licet poſtea juxta ordinem librorum, & titulorum, qui habetur in Decretalibus Gregorii IX in Corpus Juris redactæ ſint, priſtinum tamen nomen retinuerunt *Extravagantium*: unde quidem priores *Extravagantes Joannis XXII* poſteriores vero *Extravagantes communes* dicuntur. *Extravagantes communes*

continentur V. libris (licet quartus liber deficiat) diviſis in capitula & titulos. Modus citandi harum Extravagantium eſt idem ac Clementinarum, ſolum quod addatur *in Extravagantibus Joannis XXII.* aut *in Extravagantibus communibus*: v.g. *x vag. ad Conditorem can. de V. S. Joannis XXII.* legitur ſic: *in Extravaganti*, vel *extravagantibus ad conditorem Canonum, de verborum ſignificatione Joannis XXII.* Hæ enim ſillabæ x v ſignificant *Extravagantem conſtitutionem.* Item *C. ſuper Cathedram. de ſepult. x v com.* legitur ſic: *Capite ſuper Cathedram, titulo de ſepulturis Extravagantium communium.*

Obſervandum 14. *Extravagantes Joannis XXII.* habere vim, & authoritatem legis: ac deciſivam in judiciis. Ratio eſt: quia à Joanne XXII. non ſolum editæ, ſed etiam corpori juris inſertæ ſunt.

Obſervandum 15. *Extravagantes Communes*, etſi non ſatis conſtet, an alicujus ſummi Pontificis decreto publicatæ, & in Corpore juris circumferri mandatæ ſint: quia tamen ſunt deciſiones diverſorum ſummorum Pontificum, famoſorum Juris Conſultorum Romanorum Gloſſis, & notis illuſtratæ, & à multis temporibus poſſeſſionem in Corpore juris acceperunt: pro authenticis haberi.

Obſervandum 16. Recentioribus Exemplaribus corporis juris Canonici anneẞi *Septimum Decretalium* opera eruditiſſimi viri Petri Matthæi Juriſconſulti Lugdunenſis in lucem editum: qui varias Bullas, & conſtitutiones Pontificias congeſſit, & ſecundum formam Decretalium in libros, & titulos digeſſit. Verum etſi hoc opus meras conſtitutiones Pontificias contineat, quia tamen ſine mandato, aut approbatione alicujus ſummi Pontificis, privata tantum induſtria editum eſt, non cenſetur ex omni parte authenticum: nam tales Bullæ, ſi debito modo promulgatæ, vel in uſum deductæ non fuerint, aut non conſtet, an cum ſuis originalibus in omnibus, & per omnia correſpondeant, in rigore non obligant, niſi producantur in forma authentica cum plumbo, & ſubſcriptione.

Obſervandum 17. Etiam in Corpore juris Canonici inveniri *inſtitutiones juris Canonici* à Joanne Paulo Lancelotto Peruſino con-

conſcriptas, & in IV. libros diviſas: verum nec hæ ſunt authenticæ, utpote à nullo Pontifice approbatæ. Nec obſtat, quod Lancellottus has inſtitutiones Pio Pontifici dedicaverit, & prævia inſcriptione: & quod in Aula Romana mandato Pontificis ab illuſtribus viris fuerint recognitæ. Non inquam obſtat, nam neque dedicatio, neque talis recognitio eas authentizavit, aut legis, vel obligandi vim tribuit. Aliud eſt de *inſtitutionibus juris Civilis*, quas (ut jam ſuperius dictum) Tribonianus, Dorotheus, & Theophilus compoſuere, quia eas ipſe Imperator Juſtinianus legit, & recognovit, & pleniſſimum legum robur eis attribuit. *§. pen. Inſtit. in proœmio.*

Obſervandum 18. In Corpore Juris etiam inveniri *Rubricas*, *Summaria*, *& Superſcriptiones*, *ac Gloſſas.* Per *Rubricas* intelliguntur illæ ſuperſcriptiones, quibus tituli librorum, diſtinctionum, legum, ſeu ſtatutorum prænotantur, ac per verba generalia exprimunt illud, de quo potiſſimum ibidem tractatur: & dicuntur *Rubricæ*, eo quod antiquitus rubro charactere communiter ſcribi conſueverint. Item *Rubrum* ad diſtinctionem *Nigri*: per *Nigrum* intelligendo textum, per *Rubrum* autem titulum librorum, legum, vel ſtatutorum: Sic fit dum quæritur, an valeat argumentum à rubro ad nigrum. *Summaria* dicuntur, quibus capitula ſummantur, horumque contentum in brevem ſummam redigitur: ſeu quæ continent ſummam brevem materiæ in textu ſubjecto comprehenſæ. *Gloſſæ* dicuntur additiones, vel annotationes explicativæ materiæ contentæ.

Obſervandum 19. Rubricas Decreti Gratiani non eſſe authenticas, ſeu non habere vim legis deciſivam. Ratio eſt 1. quia nec ipſum Decretum Gratiani univerſim eſt authenticum, ut ex obſervando 3. hujus §. conſtat, 2. Quia Rubricæ illæ ſunt incerti authoris (quamvis aliqui dicant earumdem Authorem fuiſſe Speculatorem) poteſtate legislativa deſtituti. 3. Quia ſunt potius quædam ſummaria Canonum, quam Rubricæ: ergo.

Obſervandum 20. *Rubricas Decretalium* tam Gregorii IX. quam Bonifacii VIII. &c. eſſe authenticas, & habere vim legis deciſivam. Ratio eſt quia Rubricæ Decretalium additæ ſunt authoritate Pontificia, & una cum nigro ſubjecto eodem textu appro-

probatæ, ut deſummitur ex Proœmiis Decretalium tum Gregorii IX. tum Bonifacii VIII. Unde Rubricæ Decretalium (idem eſt de Rubricis legum Civilium reſpectu fori ſæcularis) recté allegantur in judiciis, ſerviuntque ad cauſarum deciſionem: præſertim, quando perfectam continent orationem: v. g. hæc: *Ne ſede vacante aliquid innovetur.* Item *Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotiis ſe immiſceant* &c. *Quod quisque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem utatur.* L. 2. ff. tit. 2. &c. Tunc enim etiam poſſunt allegari diſpoſitive, & tanquam jus certum. Ex quo deducitur 1. quod à rubro ad nigrum, ſeu à rubrica ad textum bonum ducatur argumentum, dummodo rubrum non contradicat nigro, ut contingit, quando Rubrica loquitur generaliter v. g. *ne ſede vacante aliquid innovetur:* & textus ſub illa poſitus continet caſum ſpecialem exceptum, ut eſt textus *cap.* 1. *in* 6. ubi ab iſta regula excipitur caſus, quo collatio præbendarum ſpectat ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul: tunc enim non licet à Rubro ad nigrum argumentari, ſed ſtandum eſt nigro, utpote magis ſpeciali, ſimulque poſteriori. Deducitur 2. Quod Rubricæ Decretalium (uti & LL. Civilium) utiliter allegari poſſint ad quadruplicem effectum. 1. *Diſpoſitive*, quando continent orationem perfectam, ut antecedenter dictum eſt, tunc enim vim juris certi habent. Dicitur: *quando continent orationem perfectam:* nam ſi perfectam orationem non contineant, ut iſtæ: *De Summa Trinitate, & fide Catholica, de Conſtitutionibus, de Reſcriptis* &c. cum ob imperfectionem ſenſus, ſive orationis, quam habent, de nullo diſponant, allegari *diſpoſitive* nequeunt, benè tamen *declarative, extenſive, & arguitive.* 2. *Declarative:* hoc eſt: quotieſcunque verba Canonis, legis, vel ſtatuti, adeoque nigri obſcura, vel ambigua ſunt, poſſunt, ac debent declarari per rubricam iis præfixam: unde in proverbium abiit, quod *Nigrum per Rubrum explicetur.* 3. *Extenſive*: quando enim Rubrica eſt generalior Nigro, continetque ſenſum perfectum, neque nigro poſitive contradicit, tunc licet nigrum ſit ſpecialius, Rubricam tamen non reſtringit: ſed potius nigrum ſpecialius per rubricam generaliori modo loquentem ampliatur, & extenditur: cum tunc ipſamet rubrica ſit loco textûs. Excipitur, niſi per rubricam ge-

ne-

neraliter loquentem orirctur correctio nigri, aut contradictio inter rubricam, & nigrum: tunc enim nigrum velut poſterius, & magis ſpeciale reſtringit rubricam: nam nigrum tantum recipit à rubrica interpretationem, vel amplitudinem, quando nigrum eſt dubium: non vero quando nigrum eſt clarum. Pariter, excipitur: niſi conſuetudo, vel ſtylus tali extenſioni obſtet, nam conſuetudo eſt optima legum interpres: vel niſi ex extenſione nigri ſequatur aliquid durum, abſurdum, aut iniquum contra, vel præter ſignificationem verborum, & mentem ſtatuentium: nam in materia odioſa locutio indefinita non æquipollet univerſali, ſed ſtrictiſſime debet intelligi. *C. odia* 15. *de R. J. in* 6. 4. *Arguitive:* quatenus non ſolum ex verbis, ſed etiam ex ſituatione, ſive ordine ipſarum rubricarum elicitur verus ſenſus Canonis, vel legis ſub eadem poſitæ: ſic ex eo, quod materia de Executoribus, & de conſervatoribus à Sede Apoſtolica deputatis ponatur ſub rubrica *de offic. Jud. deleg.* Gloſſa arguit, quod etiam iſti habeant juriſdictionem delegatam. Quæ hic dicta ſunt de rubricis Decretalium, etiam dicta ſint de rubricis Novellarum Juſtiniani.

Obſervandum 21. *Summaria capitulorum* (idem eſt de ſummariis legum Civilium) non ſunt authentica, neque habent vim legis. Ratio eſt: quia ſummaria non ſunt de textu, ſed pro commoditate legentium ex ſcriptis diverſorum Doctorum addita ſunt, qui in ipſis ſummariis non raro allegantur, nempe *Abbatis Panormitani*, *Joannis Andreæ*, *Dominici &c.* Ergo ſummaria ſunt quidem doctrinalia, non tamen authentica, nec habentia vim deciſivam in judiciis, niſi in quantum concordant cum textu ſubſequente. Interim tamen in magna æſtimatione ſunt habenda, cum iſta ſummaria conſtituantur ex his, quæ Canonum, vel legum expreſſa ſonant verba: & per hoc diſtingvuntur ſummaria à Notabilibus, quia hæc conſtituuntur ex iis, quæ tacite intelliguntur.

Obſervandum 22. *Superſcriptiones* poſitæ ſuper Decretales ſunt omnino authenticæ, & vim legis habent deciſivam in judiciis, atque ex illis in jure validum eſt argumentum. Ratio eſt: quia totum volumen Decretalium à Pontifice eſt approbatum, & in illo omnia ſuperflua ſunt reſecta: ergo cum relictæ ſint ſuperſcriptiones capitulorum, etiam ipſæ cenſendæ ſunt authenticæ: v.g. *cap.*

 de

de Reſcript. Honorius III. Cantuarenſi Archi-Epiſcopo, & conjudicibus ſuis. Item *cap.* 1. *de Decim. in* 6. legitur hæc ſuperſcriptio *: Gregorius IX. Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus.*

Obſervandum 23. *Gloſſa* non habet vim legis deciſivam. Ratio eſt: quia à privatis Doctoribus, nempe *Bernardo, Tancredo, Joanne Andreæ, Odofredo &c.* textui Canonum appoſita eſt, qui privati Authores poteſtate legislativa deſtituti ſunt: Ergo. Interim magna eſt Gloſſæ authoritas, imo major cujuſcunque alterius Doctoris privati cæteris paribus.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

DE

PARTIBUS JURIS CANONICI NON CLAUSI.

EXtra Corpus Juris Canonici (ut ex obſerv. 1. prioris §. conſtat) ſunt *Concilium Tridentinum: Declarationes Cardinalium ejuſdem Concilii interpretum: Bullarium Romanum: Deciſiones Rotæ Romanæ: & regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ.* de quibus ſigillatim in præſenti §. agendum: igitur

Obſervandum 1 Attentis illis, quæ ſ. 2. antecedente ſub obſervando 2. Colligitur 4. de Concilio dicta ſunt: noviſſimum ex Conciliis Generalibus eſt Œcumenicum Concilium Tridentinum ſex Cardinalium, quatuor Legatorum, trium Patriarcharum, triginta duorum Archi-Epiſcoporum, ducentorum viginti octo Epiſcoporum, quinque Abbatum, ſeptem Generalium Ordinum: indictum à Paulo III. die 11. Calendas Junii 1542. Pontificatus ſui anno octavo: ſub tribus ſummis Pontificibus, eodem nempe Paulo III. Tridenti in Germania anno 1545. inchoatum: ſub Julio III. continuatum: & Pio IV. Pontifice, Imperatore Carolo V. & Ferdinando I. anno 1563. finitum, & abſolutum, contra emergentes Lutheri, aliorumque hæreſes, & pro morum reformatione ſummo Eccleſiæ bono legitime congregatum, duravit per 18. annos

Digitized by Google

annos, nempe ab anno 1545. uſque ad annum 1563. In quo Concilio ſub Paulo III. decem Seſſiones: ſub Julio III. ſex Seſſiones, & ſub Pio IV. novem Seſſiones celebratæ ſunt, ut univerſim viginti quinque Seſſionibus conſtet: quæ plurimas Eccleſiæ Catholicæ, & toti Chriſtianitati ſaluberrimas, ac maxima maturitate deliberatas conſtitutiones, tum articulos fidei, tum morum reformationes concernentes complectuntur: in iiſque Lutherani, & Sacramentarii, aliique Sectarii damnati ſunt, & mores reformati.

Obſervandum 2. In Concilio Tridentino (ſicut etiam in aliis Conciliis) diſtinguendum eſſe inter *Decreta Dogmatica*, & *Reformatoria.* Illa concernunt fidem, hæc mores. Priora inſtar Evangeliornm ab omnibus Chriſtianis tenenda ſunt, quam primum legitime alicui ſunt propoſita. Poſteriora vero obligant quidem univerſalem Chriſti Eccleſiam, ſed ſolum tunc, quando ſunt legitime promulgata, nec per deſuetudinem, aut conſuetudinem contrariam legitime præſcriptam abrogata, neque ipſis per privilegium quoddam ſpeciale, locale, vel perſonale, derogatum eſt. Ita communis & certa Doctorum Catholicorum ſententia. Et ratio eſt, quia Concilium hoc in Spiritu ſancto Authoritate Apoſtolica eſt congregatum: ejuſque omnia Decreta à Pio IV. in Conſiſtorio ſecreto per Conſtitutionem *Benedictus Deus* confirmata. Par ergo hujus Concilii cum cæteris Œcumenicis Conciliis eſt authoritas. Unde cum dicitur: Concilium Tridentinum in Gallia, in Ungaria, vel alibi non eſſe receptum: non eſt intelligendum de Decretis Dogmaticis (hæc enim nullus niſi hæreticus, vel Schiſmaticus valet refutare) ſed de Decretis Reformatoriis, quæ ſaltem in quibuſdam locis ſive ex privilegio, ſive ex conſuetudine legitime præſcripta non obligant.

Obſervandum 3. Diſtributum eſſe Concilium Tridentinum (ut jam ſupra dictum) in 25. Seſſiones, in quibus tres ordines obſervandi ſunt: 1. ponitur *doctrina* per ſua capita diſtributa. 2. *Canones*, ſeu *Decreta* pro illa doctrina ordine digeſta. 3. ſtabilitur *Reformatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ.* Ubi obſervandum eſt, quod in Seſſ. 24. poſt Canones doctrinales ſubjungatur duplex ordo reformationis. Prima eſt reformatio *Matrimonii.* Secunda reforma-

Digitized by Google

tio *Eccleſiaſtica.* Hinc in allegationibus citatur illa cum addito *Matrimonii*: hæc vero ſine ullo addito nomine *reformationis.* Pariter in ſeſſ. 25. decreta citantur ſub nomine ſeſſ. 25, Reformatio vero cum duplex ſit, nimirum *Regularium*, & roformatio abſoluta, ſimili quoque modo allegari ſolent, nempe illa cum addito *Regularium:* hæc vero ſine addito.

Obſervandum 4. Pium IV. Pontificem prohibuiſſe ſub pæna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & excommunicationis latæ ſententiæ in Bulla ſuper confirmatione Oecumenici Concilij Tridentini, quæ incipit: *Benedictus Deus : ne ſcilicet quis attentet interpretari decreta dicti Concilii.* Quæ prohibitio intelligenda eſt de interpretatione Concilii totius, vel partis ejuſdem *directe* intenta per editos ex inſtituto ſive ſcriptos, ſive typis editos commentarios, annotationes, Gloſſas, ſcholia, in ejus capitula, decreta, textum &c. Sic ſi quis typis vulgaret Concilium Tridentinum, & apponeret locis Concilii in margine, vel in corpore ſuam explicationem: talis cenſendus eſſet contravenire prohibitioni Pontificiæ, & incideret in excommunicationem latæ ſententiæ. Unde cum olim quidam Juriſperitus edidiſſet gloſſam typis excuſam idiomate Hiſpanico ad integrum Corpus Concilii Tridentini: Sacra Congregatio declaravit, eum incidiſſe in excommunicationem in conſtitutione Pii IV. inflictam. Ita Fagnanus *in cap. cum veniſſent de judiciis num.* 57. Imo hic Author refert, quod ſuo tempore, cum in ſacra Congregatione examinatum eſſet, quid agendum de remiſſionibus, quas typis impreſſas edidit Auguſtinus Barboſa ad univerſa decreta, & habentur adjunctæ declarationibus Cardinalium ſuper Tridentinum: quamvis proprie remiſſiones illæ Concilium non interpretentur, ſed ſimpliciter referant ſuis quoſque locis Authores, qui ſingula Decreta interpretati ſunt: tamen cum relatum eſſet à Referente, & negari non poſſet, quin hæc ſit implicita interpretatio ex aliorum ſententia, & ſpecies quædam annotationum ad Concilii Decreta: Sacra Congregatio die 27. Aprilis 1621. de mandato Gregorii XV. decrevit, hujuſmodi remiſſiones indici librorum prohibitorum eſſe adjiciendas, prout etiam fuerunt adjectæ. *Dictum fuit hanc prohibitionem eſſe intelligendam de*

inter-

interpretatione directe intenta : nam ſi non *directe*, & *ex inſtituto* declaratio & interpretatio doctrinalis Concilii intendatur, ſed tantum indirecte, incidenter, & vi connexionis, quam habet aliquod Tridentini Decretum cum occurrente quæſtione ſcholaſtica, aut forenſi: tunc ſimilis declaratio, aut interpretatio non contravenit prohibitioni Pontificiæ, nec facit incidere in cenſuras à Pio IV. latas Ita ſentiunt communiter tam Canoniſtæ, quam Moraliſtæ. Cujus ratio melior reddi non poteſt, quam communis uſus, & obſervantia, optima legum interpres. *cap. cum dilectus de conſuet.* Item *L. Si de interpretatione.* 37. *ff. de LL.* Plena enim ſunt volumina harum interpretationum Concilii Tridentini ita *incidenter factarum* in operibus impreſſis tam Theologorum, quam Juriſperitorum, inſpectante, ſciente, nec unquam reprobante Roma. Generalia proinde hæc prohibitionis verba: *Ullumve omnino interpretationis genus ſuper decretis Concilii quocunque modo edere* ; conſuetudo interpretata eſt, eſſe intelligenda *de quocunque genere interpretationis directæ, & ex inſtituto* : non vero de *quocunque genere interpretationis indirectæ, & incidenter factæ.* Cæterum ſicut indirecta interpretatio, ſeu per incidentiam fieri poteſt tam in ſcriptis, quam in libris impreſſis : ita fieri poteſt directa interpretatio, ex propoſito, & inſtituto in omnia, vel aliqua Concilii decreta verbotenus in ſcholis : cum non verbalem declarationem & interpretationem, ſed in ſcriptis editam (in qua præſentius eſt confuſionis, & perverſionis periculum, quod Pontifex cavere vult) interdicat, & prohibeat.

Obſervandum 5. Præciſa igitur omni facultate *directe* interpretandi Concilium Tridentinnm, manet ea poteſtas ſolummodo penes ſummum Pontificem: ab ejus enim confirmatione unice prodiit jus Tridentini: unice ergo ab eo debet procedere quoque interpretatio, aut ab iis, quibus Pontifex ſpecialiter committit, uti de facto commiſit Congregationi Cardinalium dicti Concilii : quam etiam Congregationem Pius IV. conſtituit anno 1564. Et Sixtus V. confirmavit per conſtit. quæ incipit : *immenſa* edita 11. calend. Feb. 1587.

Obſervandum 6. *Declarationes Cardinalium Concilii Tridenti-*

ni interpretum habere authoritatem legis univerſalis, & vim conſtitutionis generalis, etſi editæ fuerint in aliquo particulari caſu: earumque declarationum eandem eſſe rationem habendam (ut ipſamet S. Congregatio declaravit) ac ſi ab ipſo Pontifice immediate emanaſſent: ſi ſequentes conditiones concurrunt: 1. Ut comprehendatur in ipſa declaratione, eam fuiſſe factam *conſulto ſummo Pontifice*, quia Sixtus V. in facultate interpretandi Concilium Congregationi conceſſa, expreſſe addit clauſulam: *nobis tamen conſultis &c.* 2. Ut vere conſtet, eas declarationes fuiſſe editas *in forma authentica*, ſolitoque ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, & Secretarii ejuſdem Congregationis munitas: quia enim compertum eſt plurimas falſas declarationes, & ſubinde in eadem quæſtione ſibi contrarias circumferri, mandavit Urbanus VIII. ne declarationibus Cardinalium ſive impreſſis, ſive manuſcriptis fides adhibeatur in judicio, vel extra, niſi in authentica forma, ut mox dictum, appareant. 3. Ut in ea declaratione non excedatur declarandi facultas, nec per eam amplietur, aut reſtringatur decretum Concilii: ſed Cardinales tantum declarent, & interpretentur: non vero diſpenſent, aut ultra verborum proprietatem legem augeant, niſi deſuper *habito ſpeciali mandato* ſummi Pontificis, cujus ſpecialis mandati etiam in declaratione mentio inſeratur: ſicut hanc formam Pius V. & Gregorius XIII. in ſuis Bullis Congregationi præſcripſerunt. 4. denique, ut ſimiles declarationes publice promulgentur, cum ad obligationem legis requiratur promulgatio. Si proinde declarationes Cardinalium Concilii Tridentini interpretum omnes prædictas quatuor conditiones habeant, licet ad inſtantiam particularium perſonarum emanaverint, nihilominus tamen eas pro lege communi, aut declaratione legis eſſe obſervandas, uti alias Summorum Principum in cauſis particularibus controverſis deciſiones. Contra hanc reſolutionē

Dices 1. Lex ferri debet, & ſolet per verba præceptiva. Item ut lex obliget, debet publice promulgari juxta illud: *leges inſtituuntur, cum promulgantur. Can. in iſtis 3. diſt. 4.* atqui declarationes hujus Congregationis non fiunt per verba præceptiva, vel prohibitiva, ſed per verba: *cenſuit, cenſemus*: quæ tantum denotant ſenſum, vel judicinm alicujus de re aliqua. Item non publi-

can-

cantur, vel promulgantur inſtar legum, ſed tantum petentibus ſolent ſimpliciter reddi: ergo hæ declarationes non habent vim legis. ℞. Conc. maj neg. min. quoad utramque partem. Nam Senatus Romanus (cujus authoritate dicta Congregatio pollet arg. can. Eccleſia 7. XVI. q. 1.) iiſdem verbis *Cenſuit*, *cenſemus*: uti conſuevit aliquid jubendo, vel vetando, *L. Senatus* 52. *ff. de contract. Empt.* Pariter etſi olim declarationes hæ neque imprimi, neque in locis publicis more aliarum conſtitutionum novarum Pontificiarum affigi conſueverint, ex occultis quibuſdam, & rationabilibus cauſis, hodie tamen practicatur contrarium, omneſque declarationes in forma authentica affiguntur.

Dices 2. Ut declaratio legis vim habeat legis, neceſſe eſt, ut fiat ab eo, qui poteſtatem legis condendæ habet juxta *C. inter alia* 31. *de ſent. excom. Unde jus prodiit, interpretatio quoque*, quæ vim juris habet, *procedat*: ſed non conſtat, quod S. Congregationi poteſtatem condendæ legis Sedes Apoſtolica conceſſerit: ergo. ℞. quod facultas interpretandi Concilium ſit conceſſa Congregationi ab ipſo Papa; neque declarationes fiunt, niſi conſulto ſummo Pontifice: adeoque locus eſt regulæ juris 72. in 6. *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.*

Dices 3. Declarationibus S. Congregationis regulariter non apponitur tempus, aut locus: ergo validæ eſſe nequeunt: invalidæ ſiquidem ſunt conſtitutiones Papales non continentes locum, & tempus: ergo. ℞. Expreſſionem temporis, & loci ſolum requiri in editione novæ legis, non vero in legis editæ declaratione: hæc enim declaratio legis retrotrahitur ad. tempus conditæ legis, cui ineſt, & ab illius promulgatione vim obligandi habet. Cujus declarationem dat Imperatot *Novel.* 145. *fin.* ubi de tali legum ſuarum declaratione loquitur ita: *Quam interpretationem non in futuris tantummodo caſibus, verum in præteritis etiam valere ſancimus, tanquam ſi noſtra lex ab initio cum interpretatione tali à nobis promulgata fuiſſet.*

Dices 4. Multæ inveniuntur Cardinalium declarationes ſibi contrariæ, ut patet ex declarationibus impreſſis, & manuſcriptis, quæ circumferuntur: imo etiam teſtante ipſamet S. Congregatione-

ne in Decreto Gregorii XV. juſſu edito: ergo vim obligandi non habent: arg. L. ubi pugnantia 188. ff. de R J. ℟. diſt. ant. multæ inveniuntur Cardinalium declarationes ſibi contrariæ apocryphæ, aut falſæ, conc. ant. veræ, & authenticæ, neg. ant. & conſeq. Solutio ex terminis patet. Imo ſi etiam authenticæ declarationes eſſent, ad ſpeciem ſolum contrariæ viderentur, facileque ad invicem conciliari poſſent: aut ſi contrarietas vitari nequiret, poſterior derogabit Priori.

Dices 5. Etſi Judices, & Magiſtratus habeant à Principe jus interpretandi legem, & ſecundum illam cauſas decidendi, tamen eorum definitiones, & interpretationes parendi neceſſitatem omnibus non imponunt, ſed tantum iis, pro quibus emanarunt: *arg. cap. quamvis 25. de ſent. & re judic.* Item *L. res inter 2. C. quib. res judic. non noc.* Ergo pariter, etſi S. Congregatio facultatem interpretandi, & judicandi habeat à Papa, illa tamen interpretatio, & definitio ſolum habebit rationem legis pro partibus, pro quibus emanata eſt, non vero omnibus parendi neceſſitatem imponet. ℟. Conc. ant. neg. conſeq. quia jurisdictio judicum, & Magiſtratuum plerumque reſtricta eſt ad certos limites perſonarum, & territorii: ideoque prorſus diſtincta eſt à juriſdictione Principis, qua univerſis ſuis ſubditis jus valet dicere. At juriſdictio S. Congregationis non eſt reſtricta ad certas perſonas, neque ad certum territorium, ſed eſt tam late patens, ac ipſa authoritas Pontificis, cum ſola hac diſtinctione, quod juriſdictio S Congregationis dependeat à Pontifice: juriſdictio vero Pontificis à nullo dependeat. Item cum ſola diſtinctione materiæ, circa quam verſatur, dum nempe juriſdictio Papæ & quidem privative etiam ſe extendit ad cauſas fidei: juriſdictio vero S. Congregationis ſolum ad cauſas morum.

Obſervandum 7. Quod in præcedente obſervando 6. dictum eſt de declarationibus Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, idem fere dicendum eſſe de aliarum Congregationum Romanarum (nempe Congregationis *ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium*, Congregationis *Rituum*, Congregationis *de indice librorum prohibitorum*, Congregationis *de propaganda fide*, Congre-

gregationis *S. officii inquiſitionis* contra hæreticam pravitatem, &c.) declarationibus : quod nempe tunc ſolum habeant vim Juris, ſeu legis, quando explicant jus commune , & ſi habeant 4. Conditiones in mox obſervando 6. enumeratas.

Obſervandum 8. *Bullarium Romanum* eſſe ſeriem omnium ſummorum Pontificum , eorumque diverſas Bullas , & conſtitutiones complectens : fuit primo opera Laertii Cherubini juriſconſulti Romani compilatum , deinde ab Angelo Maria Cherubino ejus filio, Religioſo Caſinenſi tempore Urbani VIII. cum noviſſimis Bullis denuo editum. Eſt quidem hoc opus Urbano VIII. dedicatum , ut in præfatione ad lectorem refertur , & quod ductu , & auſpicio Sixti V. Laertius Cherubinus id primo evulgaverit : nulla tamen apparet expreſſa , & authentica alicujus ſummi Pontificis approbatio , vel decretum de eo recipiendo , niſi in principio libri ſolum Urbani VIII. privilegium conceſſum Bibliopolæ , ne hoc opus aliquis ſine ejus licentia imprimat, aut vendat : quod utique nullam ſpecialem authoritatem libro tribuit , illum inter legales libros numerandi : alias omnes libri , qui Romano Pontifici dedicantur, vel ejus hortatu in lucem eduntur , aut ſimile privilegium Typograficum à Pontifice , vel Imperatore habent , legales forent , quod tamen nullus dixerit. Unde *Bullario* , ſeu Bullis in Bullario contentis probabilis quidem fides in ſcholis adhiberi poteſt ; cæterum autem cenſentur nomine *extravagantium* , quæ in judiciis , ubi de rebus magni momenti , & præjudicii ageretur , non aliter facerent plenam probationem , quam ſi ab allegante in authentica forma producerentur. Univerſaliter denique quoad conſtitutiones Pontificias extravagantes attendendum eſt : utrum ſint antiquæ , & ante compilationem , ac editionem Libri VI. Decretalium emanatæ ? vel poſt libri VI. Decretalium editionem ? ſi antiquiores fuerint Libro VI. Decretalium, admittendæ non ſunt , nec faciunt jus , etiamſi de earum cum originalibus concordantia , & promulgatione legitima conſtaret : & hoc ex eo , quia Bonifacius VIII. in ſua conſtitutione , quæ incipit : *Sacroſancta* Anno 1298. cum libro VI. Decretalium edita ſtatuit , non recipiendas , nec pro decretalibus habendas Prædeceſſorum ſuorum conſtitutiones , quæ ſexto illo libro clauſæ non reperiuntur. Si autem ſint emanatæ

poſt libri ſexti editionem, habebunt vim legis univerſalis, quando in authentica forma producuntur, quod pro tota Eccleſia latæ, rite promulgatæ, uſu receptæ, & cum originalibus ſuis correſpondentes fuerint: ſecus non.

Obſervandum 9. *Bullam Pontificiam* differre à *Brevi Apoſtolico* per hoc, quod *Bulla* ſit ſcriptura in membrana, plumbo de funibus pendente munita, ſalutationem cum narratione, & conceſſionem Papæ &c. continens: *Breve* vero ſit diploma, ſeu reſcriptum à Papa (aut Pœnitentiario Magno) emanatum, atque ſit Scriptura modica, in parvis conceſſa negotiis, in papyro frequenter ſcribi ſolita, cera rubra annuloque Piſcatoris ſigillata, ac ſigno Secretarii notata, & ſubſcripta.

Obſervandum 10. *Rota Romana* eſt ſummi Pontificis in cauſis litigioſis tribunal, ſeu judicium. Deciſiones Rotæ Romanæ etſi magnam habeant authoritatem extra curiam Romanam, & communi prævaleant opinioni, attamen probabiles tantum, & Magiſtrales ſunt: & ſolum inter partes litigantes jus faciunt, non vero jus univerſale: nec alii judices ſecundum eas judicare tenentur, niſi deficientibus melioribus juris fundamentis, uti quatuor inſignes Rotæ Auditores fatentur, nempe Felinus, Præpoſitus, Bellamera, & Caſſadorus. Imo ipſa Rota ſæpius contra eas judicat. Si autem ſæpius ſecundum eas fuerit judicatum, & ſuper eadem juris quæſtione uniformes, & ſæpius repetitæ fuerint Rotæ deciſiones, faciunt conſuetudinem, & ſtylum, ſeu jus ad inſtar ſtyli in ipſa curia Romana: *L. cum de interpret. ff. de LL.* non vero extra Curiam Romanam. Contra hoc

Dices *Cap. in cauſis* 19. *de ſentent. & re judic.* dicitur: *in cauſis, quæ ſummi Pontificis judicio deciduntur, & ordo juris, & vigor æquitatis eſt ſubtiliter obſervandus: cum in ſimilibus caſibus cæteri teneantur ſimiliter judicare.* Sed judicio ſummi Pontificis deciduntur, quæ deciduntur à Rota: ergo. Item *L. fin. cod. de LL.* dicitur: *Si Imperialis Majeſtas cauſam cognitionaliter examinaverit, & partibus cominus conſtitutis ſententiam dixerit, omnes omnino judices, qui ſub noſtro imperio ſunt, ſciant, hoc eſſe legem non ſolum illi cauſæ, pro qua producta eſt, ſed & omnibus ſimilibus:* ergo. R. Hos juris textus eſſe intelligendos præciſe de deciſione lata ab ipſamet

met

met Perſona Principis, non vero de deciſione ſenatus ejus, vel Vicarii judicis. Etſi enim Camera Imperialis Spyrenſis, nunc Wezlarienſis Cæſarem repræſentet, ſitque Conſiſtorium Auguſti, nihilominus tamen ejus ſententiæ definitivæ univerſale jus Cæſareum non faciunt: quia Aſſeſſoribus Cameræ data fuit poteſtas ab Imperatore ſecundum leges judicandi, non vero novas leges faciendi: uti conſtat ex juramento, quod deponunt, quando in Aſſeſſores recipiuntur, ubi in ſpecie jurare tenentur, quod ſecundum Imperii conſtitutiones ſecundum jus commune, & laudabiles locorum conſuetudines judicare velint. *L.* 1. *Ordin. Cam. tit.* 57. Ergo etiam in noſtro caſu deciſiones Rotæ Romanæ jus univerſale Pontificum non faciunt.

Obſervandum 11. *Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ* ſunt certæ quædam conſtitutiones, ſeu ordinationes Pontificum, in quibus norma, & ordo in rebus gerendis apud Cancellariam præſcribitur: ſicut in foro politico etiam habentur ordinationes Cameræ Imperialis. Aliæ ſunt *ſpeciales*, quæ literarum expeditionem in curia faciendam concernunt. Aliæ ſunt *Generales*, quæ agunt de reſervationibus Apoſtolicis, de diſpenſationibus, de indulgentiis impetrandis, & concedendis, de certis beneficiis per Papam conferendis, eorumque reſignationibus, & annuali, vel triennali poſſeſſione &c. Appellantur *Regulæ Cancellariæ*, quia ſecundum illas judicandum eſt omnibus, ad quos ejuſmodi cauſæ & negotia pertinent in curia, ſeu Cancellaria Pontificia. Item quia magna illorum pars concernit literarum Papalium expeditionem, quæ fit in Cancellaria, & in ea publicantur.

Obſervandum 12. Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ ſpeciales nullo modo conſtituere jus univerſale: Ratio eſt: quia hæ ſolis officialibus Cancellariæ præſcribunt normam, qua expediri debeant literæ Papales in Cancellaria, ſuntque reſtrictæ ad hunc determinatum effectum, ac locum: ergo extra Curiam Apoſtolicam non ligant; dicitur: *extra Curiam Apoſtolicam non ligant*: quia certum eſt, quod Curiam Apoſtolicam ligent, & ab ea obſervari debeant: cum ob hunc finem Curiæ publicentur. Econtra Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ Generales jus univerſale conſtituere, ita qui-

 dem

dem, ut ſi circa diſpoſitiones beneficiales quacunque tandem in Curia Eccleſiaſtica, Patriarchali, Metropolitana, Epiſcopali &c. eis contraventum fuerit, actus ſit ipſo jure nullus. Ratio eſt 1. quia ex perſona conditoris metienda eſt lex, an generalis ſit, vel ſpecialis: niſi ex tenore ſuo determinatum locum (ut eſt de regulis Cancellariæ ſpecialibus dictum) afficiat: *cap. fin. de conſtit. in* 6. Atqui conditor harum regularum eſt Pontifex habens univerſalem jurisdictionem in Eccleſiam: ergo regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ generales conſtituunt jus univerſale, ſeu legem univerſalem. Ratio eſt 2. quia materia legis modificat legem, & determinat limites illius: nam materia odioſa reſtringit: favorabilis vero ampliat legem: juxta *cap. odioſa de R.J. in* 6. Atqui materia regularum Cancellariæ Apoſtolicæ generalium eſt favorabilis, materia enim ſunt beneficia, diſpenſationes, aliæque gratiæ Pontificiæ: ergo. Ratio eſt 3. quia ab his regulis excipiuntur à Pontifice Cardinales: ergo omnes cæteri comprehenduntur, atque arctantur: cum excluſio unius ſit incluſio alterius L. cum Prætor. ff. de judiciis: ergo. Contra hoc

Dices: Vera lex debet eſſe perpetua, & promulgata: ſed Regulæ Cancellariæ etiam generales non ſunt perpetuæ, cum exſpirent morte Pontificis ſtatuentis: neque promulgantur niſi in Curia Romana: ergo Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ generales non habent vim legis univerſalis. ℟. 1. licet regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ etiam generales non ſint omnimode perpetuæ, habent tamen ſufficientem ſtabilitatem hoc ipſo, quod durent ad vitam legislatoris, & nunquam exſpirent ſine certa ſpe reſuſcitationis paulo poſt futuræ. ℟. 2. quantum ad perpetuitatem Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ generales à communi aliarum legum conditione deviare, non quidem ex propria natura, quia etiam ipſæ natæ ſunt perpetuari, ſed ex voluntate Pontificis in earum præfationibus declarari ſolita illis verbis: *& ſuo tempore duraturas*. Quoad publicationem ℟. quod neque Regulæ Cancellariæ obligent ante promulgationem in conſcientia, ſeu quoad culpam, & pænam: licet ob expreſſam Pontificis declarationem obligent quoad nullitatem actus in contrarium geſti, ſcilicet proviſionem beneficialium contra earum præſcriptum ſcienter, vel ignoranter factarum.

PA-

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

DE

Conciliis Generalibus tam legitimis, quam illegitimis in particulari. Item de Conciliis partim approbatis, partim reprobatis.

CUm Jurium Eccleſiaſticorum Candidatum præprimis ſcire oporteat Canones, & leges: quapropter cum magnam earum partem conſtituant Concilia Generalia, operæ pretium eſt, ad illa in particulari, & in ſpecie dignoſcenda deſcendere. Nam de Conciliis in communi recolligenda ſunt dicta §. 3. ſub obſervando 2. Collig. 4. &c.

De Conciliis Generalibus legitimis.

OBſervandum: Canones Generalium Conciliorum, ſeu Concilia Generalia incæpiſſe temporibus Conſtantini Imperatoris: prioribus namque annis fervebat perſecutio, & plebem docendi non dabatur facultas, inde Chriſtianitas in diverſas ſciſſa eſt hæreſes: quia non erat licentia tam generalis Epiſcopis in unum conveniendi, niſi tempore Conſtantini Imperatoris: ipſe enim dedit facultatem Chriſtianis libere ſe congregandi.

Primum ergo Generale Concilium eſt *Nicænum I.* ſub Sylveſtro Pontifice, & Conſtantino Magno Imperatore. Inchoatum eſt hoc Concilium anno Chriſti 325. (juxta Bellarminum 327.) & productum eſt uſque ad annum 330. qui fuit annus Sylveſtri Papæ 15. & Conſtantini Imperatoris 20. Convenere impenſas, & vehicula ſuppeditante pientiſſimo Imperatore ex toto Oriente 318. Epiſcopi. Ex Occidente autem tantum adfuere tres Apoſtolicæ Sedis legati. Tres fuere cauſæ hoc Concilium congregandi.

Prima fuit ob hæreſim Arii Alexandrini Presbyteri, qui Filium Dei non eſſe ab æterno, nec Deum verum de Deo vero, ſed

ex nihilo creatum, minorem Patre, voluntate, naturaque mutabilem impie aſſeruit: quæ hæreſis Ariana cum in dies latius ſerpere cœpiſſet, multos, magnoſque aſſeclas, atque inter eos duos *Euſebios* Nicomedienſem, & Cæſareenſem nacta fuiſſet, fortius aliquod & univerſalius remedium exigebat.

Secunda fuit ob antiquam controverſiam jam dudum agitatam, de tempore nempe celebrandi Feſti Paſchalis. Quidam enim, Aſiatici præſertim, contenderant jam tempore Victoris I. Papæ, decima quarta lunæ primi menſis cum Judæis celebrandum eſſe Paſcha. Unde *Quarto Decimani* dicti, jam pridem ab eodem Victore I. aliiſque Epiſcopis ritum Romanæ Eccleſiæ, Dominicam proximam juxta traditionem Apoſtolorum ſtatuentibus ſequi juſſi:

Tertia cauſa fuit tumultus *Meletii* Lycopoleos in Ægypto Epiſcopi, qui funeſto ſchiſmate ſcidit Eccleſiam. Hic etenim propter plura crimina, ac præſertim Idolorum cultum, à S. Petro Alexandrino Epiſcopo in frequenti Synodo depoſitus, in eundem & ſucceſſores ſuos furens, munere Epiſcopali contumaciter fungi perrexit, multis, qui præterea *Meletiani* dicti ſunt, in partes ſuas pertractis.

Ob hanc ergo triplicem cauſam hoc Concilium indictum, & celebratum eſt, in eoque Arius cum aſſeclis, & hæreſi ſua ab univerſo Epiſcoporum concilio eſt damnatus, ac vindicata Filii Divinitas, conſcriptumque ab Oſio Cordulenſi in Hiſpania Epiſcopo, & præſente huic Concilio tamquam legato Sedis Apoſtolicæ Nicænum ſymbolum fuit, quo Dei Filius aſſeritur Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero ὁμοούσιος, ſeu conſubſtantialis Patri. Hoc ſymbolum Nicænum eſt conſcriptum, & approbatum ab hoc Concilio uſque ad illa verba: *Cujus Regni non erit finis.* Reliqua verba, quæ habentur in ſymbolo, addita ſunt à ſecundo Generali Concilio, ſeu Conſtantinopolitano I. ad confutandam præcipue Macedonii hæreſim, Spiritui ſancto Divinitatem abnegantis.

Pariter in hoc Concilio quoad ſecundam cauſam definitum eſt, Paſcha non eſſe cum Judæis celebrandum decima quarta lunæ menſis primi (erat autem menſis primus *Niſan* dictus apud Hebræos, cu-

cujus decima quarta lunæ, ſeu dies plenilunii, incidebat vel in ipſum diem æquinoctii verni, vel proxime poſt æquinoctium) ſed ſtatutum, ut Paſcha ſemper celebretur die Dominica proxime ſequente plenilunium, quod primo occurrit poſt æquinoctium Vernum. Hoc autem æquinoctium à Concilio Nicæno fixum eſt (moraliter ac civiliter) in diem 21. Martii. Unde ſi plenilunium incideret in 20. Martii, adeoque uno die ante æquinoctium, deberemus adhuc perintegrum menſem lunarem expectare, nempe per 29. dies, uſque ad primum plenilunium poſt æquinoctium, videlicet uſque ad 18. Aprilis. Et ſi illa dies eſſet Dominica, adhuc expectandum eſſet per 7. dies uſque ad 25. Aprilis, in quam incidit Feſtum S. Marci: quo die in hoc caſu juxta Concilium Nicænum celebrandum eſſet Paſcha. Econtra vero, ſi plenilunium incideret in ipſam diem æquinoctii, nempe in 21. Martii, & ſequens dies, nempe 22. Martii, eſſet Dominica, hac die jam deberet Paſcha celebrari. Adeoque Paſcha nunquam celebrari poteſt ante 22. Martii, neque poſt 25. Aprilis.

Quoad tertiam cauſam in hoc Concilio deciſa eſt Cauſa *Meletii*, ſtatutumque, ut retento nudo Epiſcopi nomine maneret Lycopoli, abſtinens omni Epiſcopali munere, & functione.

De hoc Nicæno Concilio hoc ſpeciale legitur apud Fagnanum *tit. de Sum. Trinit. & fid. Cathol. ad c.* 1. *n.* 6. miraculum: quod duo Epiſcopi jam vita functi à reliquis Patribus ad ſepulchrum requiſiti, propria manu eidem Concilio ſubſcripſerint in hæc verba: Chryſanthus, & Mauſonius, qui cum Patribus omnibus in ſancta, prima œcumenica Nicæna ſynodo conſentimus, quamvis corpore translati, manu tamen propria nos quoque libello ſubſcripſimus. Ita refert Nicephorus *lib.* 8. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. cap.* 23.

Secundum Generale Concilium eſt *Conſtantinopolitanum I.* anno 381. temporibus Theodoſii Senioris pientiſſimi Principis, & Damaſi Papæ Romani Conſtantinopoli celebratum. Convenerunt ad hoc Concilium ex diverſis Provinciis orientalibus 150. Epiſcopi. Ex occidentalibus nemo aderat, ſed Damaſus Papa eodem tempore Romæ congregavit Concilium ex occidentalibus Epiſcopis; atque ſic duo hæc Concilia locis quidem disjuncta, ani-

mis

Digitized by Google

mis tamen, & ſententiis unita, in unum Concilium generale coaluerunt. Cauſa autem hujus Concilii fuit hæreſis *Macedoniana*, ſic dicta à *Macedonio*, quem Conſtantius, Arianorum malis artibus depulſo Paulo, in Conſtantinopolitanam ſedem intruſit. Hic non contentus cum Arianis Filium Divinum Patre minorem facere, ut novi quid parturiret, atque ulterius porrigeret blaſphemiam, Spiritum S. Creaturam eſſe docebat, nulla in eo agnita Divinitate: unde ipſius ſectatores *Pnevmatomachi* appellabantur, hoc eſt, Spiritus Sancti oppugnatores. Impium hoc dogma, atque hæreſis Macedoniana ab hoc Concilio fuit condemnata: additaque Symbolo Nicæno reliqua verba (ut dictum ſuperius) incipiendo à verbis illis: *Et in Spiritum Sanctum* &c. ad rejiciendam tam hæreſim Macedonianam, quam alias hæreſes: pro cujus notitia ſerviet explicatio verborum Symboli.

Dicitur 1. *Et in Spiritum S. Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum* &c. Hoc inquam dicitur contra *Macedonium*, *Aetium*, & *Eunomium* Spiritui Sancto Divinitatem detrahentes.

Dicitur 2. *Factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium*, Contra *Marcionitas*, & *Manichæos*, qui aſſerebant duo rerum principia, unum bonum, alterum malum.

Dicitur 3. *Natum ante omnia Sæcula*, Contra *Photinum*, qui Verbum Divinum non æternum, ſed in utero Virginis primo cæpiſſe, docuit.

Dicitur 4. *Natus ex Maria Virgine*, Contra *Apollinarem*, delirantem, Chriſtum carnem ſuam de cœlo tuliſſe.

Dicitur 5. *Cujus regni non erit finis* Contra *Millenarios*, temporale ac terreſtre Chriſti regnum commiſcentes.

Dicitur 6. *Conſubſtantialem Patri* contra *Arianos*, *Semi-Arianos*, *Homœouſios*, qui Filium *ſimilis* cum Patre ſubſtantiæ eſſe dicebant, & *Hetereuſios*, qui neque ejuſdem, neque ſimilis cum Patre ſubſtantiæ, ſed diverſæ eſſe volebant. Item contra Conſtantium Imperatorem, qui edicto vetuit, Chriſtum dici *Homouſion*, ſeu conſubſtantialem, ut Catholici docebant, quos propterea *Homouſianos* appellabant.

De-

Denique in hoc ſymbolo fit diſtinctio Divinarum Perſonarum contra *Sabellium*, qui unam tantum in Trinitate Perſonam eſſe volebat.

Notandum: quamvis hoc fidei ſymbolum (quod hodie ddum in Miſſa legitur) potius ſit ſymbolum *Conſtantinopolitanum*, dicitur tamen communiter ſymbolum *Nicænum*, quia ab hoc non differt, niſi (ut ſupra dictum) quod aliqua verba ſint addita, aut magis explicata, ut per illud manifeſtius variæ hæreſes rejiciantur.

Tertium Generale Concilium eſt *Epheſinum I.* anno 431. (vel ſecundum Bellarminum 434.) contra *Neſtorium* celebratum temporibus Theodoſii Principis Junioris, & Cæleſtini I. Papæ Romani. Convenere ad hoc Concilium Epheſi 200. Epiſcopi Orientales cum Cyrillo Allexandrino Patriarcha Præſide hujus Concilii nomine, & authoritate Cæleſtini Papæ. Fuit *Neſtorius* Monachus Antiochenus, Theodori Mopſveſteni diſcipulus. Poſt obitum Siſinii Theodoſius Junior Arcadii filius hunc Neſtorium ad regendam Eccleſiam Conſtantinopolitanam accerſivit veluti virum, qui veteris diſciplinæ im ginem referret. Hominem mentitus, impietatem ſuam manifeſtavit, dum docuit, Beatam Virginem MARIAM non Dei, ſed hominis tantummodo eſſe Genitricem: hinc Chriſtum in duas diſtraxit hypoſtaſes, ac perſonas, in duos filios in duos Chriſtos, unum quidem purum Deum ex Patre Deo, alterum vero purum hominē ex homine. Hinc vetuit B.V. MARIAM appellari *Theotocon*, ſeu Dei Genitricem, ſubſtituitque vocem *Chriſtotocon.* Hoc proinde Concilium Generale Epheſinum I. Neſtorium, duas perſonas in Chriſto aſſerentem, juſto anathemate cum ſua hæreſi damnavit. Neſtorius vero, cujus impiam linguam vermes depaſcebant, miſere interiit, documento cum Ario futurus poſteris, non impune os impium in cælum poni.

Quartum Generale Concilium eſt *Chalcedonenſe.* anno 451. contra Eutychetem celebratum eſt temporibus Martiani Principis, & Leonis I. Papæ Romani. Convenere ad hoc Concilium Chalcedonenſe 630. Epiſcopi præſidentibus pro more Concilio legatis Sedis Apoſtolicæ: Aderat etiam actione 6. Martianus Imperator cum Pulcheria conjuge (quæ erat Theodoſii ſoror ſucce-

 dens

dens in imperio, & quæ Martianum ignobili quidem ſtirpe in Thracia prognatum, & virtute militari clariſſimum, & optime Catholicum in ſponſum, & conſortem imperii aſſumpſit) non ut tanquam Judex in fidei controverſiis ſuffragium ferret, ſed ut tanquam defenſor turbas compeſceret, ut ipſe innuit Imperator Patres alloquens. Fuit *Eutyches* Archimandrita Monaſterii cujuſdam Conſtantinopoli: hic ut ab errore Neſtorii de duabus in Chriſto perſonis deflecteret, in extreme oppoſitum ſcopulum impegit, unamque tantum in Chriſto naturam poſt unionem aſtruebat ſic arguendo: *In Chriſto una tantum datur Perſona: atqui natura & perſona ſunt idem: ergo etiam una tantum datur in Chriſto natura:* quia videlicet natura divina & humana in Chriſto ita ſunt inter ſe confuſæ, ut Divina natura humanam abſorberet, ſicque poſt unitionem ſola Divina natura in Chriſto extitit. Hanc hæreſim cum Eutychete, ejuſque defenſore Dioſcoro quondam Alexandrino Epiſcopo, rurſus Neſtorio cum reliquis hæreticis hoc Concilium Generale Chalcedonenſe damnavit una Patrum ſententia.

Quintum Generale Concilium eſt *Conſtantinopolitanum II.* anno 553. contra *Origenem*, & *origeniſtas*. Celebratum eſt temporibus Juſtiniani Imperatoris, & Vigilii Papæ Romani. Convenere ad hoc Concilium 160. Epiſcopi Præſidente ex conſenſu Vigilii Eutychio Conſtantinopolis Patriarcha. Plures fuere Origenis, & Origeniſtarum errores: nempe animas omnes fuiſſe ab initio mundi creatas, ſeu fuiſſe Angelos, & pro qualitate delicti in varia corpora tanquam in carceres mitti. Item verbum non eſſe vere, ſed tantum participative Deum. Infernum nihil eſſe niſi conſcientiæ terrorem. Dæmones, damnatosque aliquando ſalvos futuros. Chriſtum etiam pro diabolis paſſum &c. Hi errores cum aliis Theodori Mopſveſteni, Theodoreti impiis ſcriptis, & Ibæ ad Marim epiſtola ab hoc Concilio ſunt damnati.

Sextum Generale Concilium eſt *Conſtantinopolitanum III.* anno 681. contra *Monothelitas*. Celebratum eſt temporibus Conſtantini Pogonati Imperatoris, & Agathonis Papæ Romani. Convenere ad hoc Concilium 289 Epiſcopi, Præſidentibus Sedis Apoſtolicæ legatis Theodoro, & Georgio presbyteris, & Joanne

Dia-

Diacono. Habitum etiam eſt Romæ pro priori contra *Monothelitas* Concilium particulare 125. Epiſcoporum Occidentalium Cum Eutychiani viderent ſuam de una tantum in Chriſto natura hæreſim damnatam eſſe à Synodo Chalcedonenſi, aliam excogitarunt: unam tantum in Chriſto voluntatem, unamque operationem admittendo; dicebant enim: quia una tantum in Chriſto eſt perſona, unus volens, unus operator: una quoque in ipſo voluntas, unaque operatio ſit, oportet, eaque non humana, ſed Divina ſolum, cum etiam perſona tantum ſit Divina. Ex quo patet, perinde eſſe, ſive hæc hæreſis nova dicatur, ſive nova quædam hæreſis Eutychianæ propago: cum enim aperte tantum unam in Chriſto voluntatem afferat, unam pariter naturam tacita illatione perſuadet. Novo tamen nomine iſti Novatores ſignati ſunt, atque ab una voluntate, quam adſtruebant, *Monothelitæ* dicti ſunt. Ab hoc Concilio damnata eſt hæc hæreſis cum ſuis defenſoribus, & fautoribus.

Septimum Generale Concilium eſt *Nicænum II.* anno 787. contra *Iconomachos*, ſeu *imaginum impugnatores*. Celebratum eſt temporibus Conſtantini & Irene Imperantium & Adriani I. Papæ Romani. Convenere ad hoc Concilium 350. Orientales Epiſcopi Præſidentibus Sedis Apoſtolicæ legatis, Archi-Presbytero Eccleſiæ S. Petri, & Abbate S. Sabæ. Poſtquam hæreſis in oriente adverſus Chriſtum Dominum per plura ſæcula rabiem ſuam exprompſerat, modo cum Arianis eum Patri conſubſtantialem negans, modo cum Neſtorio in duas eum perſonas dividens, modo cum Eutychianis in unam naturam, aut cum Monothelitis in unam eum voluntatem conſtringens: Nicænis, Epheſinis, Chalcedonenſibus, ac Conſtantinopolitanis fluminibus contrita fuerat: tandem adverſus Chriſti, Sanctorumque imagines furere cœpit, nacta ad hoc potentem adjutorem Leonem Iſauricum Imperatorem imperiali edicto ſacras imagines proſcribentem: quo miſere pereunte pejor ejus Filius Conſtantinus, cui ob fœdatum, cum ſalutaribus undis tingeretur, ſacrum lavacrum Copronymi nomen adhæſit, immani crudelitate ſacras icones, ſanctorumque perſequi cultum perrexit: ſed & hic ultrices inter flammas exæſtuans, horrendo cum ejulatu infelicem animam expuit: Leo IV. Porphyrogenitus Coprony-

mi filius, ſacrarum imaginum hoſtem ſe profeſſus eſt, ſed & ſimili exitu finem vitæ impoſuit vidua Irene relicta, & ſub ejus tutela Conſtantino filio decenni. Ab hoc Concilio uſus, ac veneratio *SS.* Imaginum jam inde ab Eccleſiæ exordiis recepta, ac traditione continua propagata eſt aſſerta, contradicentes vero hæretici declarati, & anathemate perculſi ſunt.

Octavum Generale Concilium eſt Conſtantinopolitanum IV. anno 869. Contra *Photium* Patriarcham Conſtantinopolitanum ut intruſum. Celebratum eſt temporibus Baſilii Imperatoris, & Adrianii II. Papæ Romani. Convenere ad hoc Concilium 102. Epiſcopi Præſidentibus legatis Pontificiis. Ab hoc Concilio damnatus eſt Photius, ejuſque aſſeclæ: & etiam damnata eſt opinio de duabus hominis animabus, quam Photius tenuiſſe dicitur, tanquam S. Scripturæ & SS. Patribus contraria. Probabiliter Concilium iſtud eos damnat, qui duas animas rationales in homine aſſerunt: licet enim hoc Concilium videatur univerſaliter duas animas rejicere, ratio tamen, quam affert ex S. Scriptura, tantum contra duas animas rationales pugnat.

Nonum Generale Concilium eſt Lateranenſe I. ſic dictum à palatio Lateranenſi Romæ: hoc fuit primum Concilium generale ex occidentalibus: Celebratum eſt anno 1122. temporibus Caliſti II. Papæ Romani, & Henrici V. Imperatoris. Convenere ad hoc Concilium 300. & ultra Epiſcopi, Præſidente ipſo Papa per ſe. In hoc Concilio pax reddita eſt inter Eccleſiam, & Imperium circa inveſtituras, atque unanimi conſenſu concordata Wormatiæ inita ſunt approbata, & confirmata, declaratis ſimul omnibus Burdini Pſevdo Pontificis actis irritis. Item adornata nova expeditio pro recuperanda ex integro terra ſancta.

Decimum Concilium Generale eſt *Lateranenſe II.* anno 1139 celebratum temporibus Innocentii II. Papæ Romani, & Lotharii II. Imperatoris, vel Regis Romani Conradi. Convenere ad hoc concilium circiter 1000. Epiſcopi, Præſidente Papa per ſe. Actum eſt in hoc concilio contra Antipapas *Petrum Leonis*, qui Anacletus II. dici voluit, & Gelaſio II. ſuccedere: & victorem IV. mortuo Petro à Schiſmaticis obtruſum, aliosque Antipapas; atque reſciſſa ſunt acta Pſevdo-Pontificum: in hoc item

Con-

Concilio damnati ſunt hæretici, videlicet *Petrus de Bruis*, hujuſque diſcipulus *Arnaldus Brixienſis*: qui dicebant, Baptiſmum non prodeſſe parvulis; templa eſſe deſtruenda; confringendas cruces, &c. Tandem etiam in hoc concilio editi ſunt canones pro reſtauranda Eccleſiæ diſciplina per tot Schiſmata collapſa.

Undecimum Concilium Generale eſt *Lateranenſe III.* anno 1179. celebratum temporibus Alexandri III. Papæ Romani, & Friderici I. Imperatoris. Convenere ad hoc Concilum circiter 302. Epiſcopi Præſidente Papa per ſe. In hoc Concilio primò ſtatuta eſt norma eligendi Pontificem: reſciſſaque ſunt acta Pſevdo-Pontificum: nempe Octaviani ſub nomine Victoris V. Quidonis Cremenſis Epiſcopi ſub nomine Paſchalis III. Joannis Abbatis ſtramienſis ſub nomine Caliſti III. Secundo in hoc Concilio damnata eſt hæreſis Catharorum, Waldenſium, & Albigenſium. Waldenſes à Petro Waldo mercatore Lugdunenſi exorti, initio genus quoddam vitæ monaſticæ affectarunt, ſed cum à Sede Apoſtolica fuiſſent reprobati, jugo excuſſo in omne genus vitiorum, hæreſumque ſunt prolapſi: dicebant quippe, Romano Pontifici non eſſe obediendum: ejus Decreta nullius eſſe momenti: à judicio ſanguinis omnibus abſtinendum: laicos juſtos conſecrare, & abſolvere à peccatis poſſe: Sacerdotes vero impios poteſtatem conſecrandi, & abſolvendi amittere: conſecrabant ſemel in anno, dicendo ſepties Pater noſter: indulgentias, purgatorium, invocationem Sanctorum, dies feſtos, jejunia, ſalutationem Angelicam, ſymbolum Apoſtolorum contemnebant: urente carnis libidine omnem commixtionem eſſe licitam: omne juramentum eſſe illicitum: in libris veteris teſtamenti non contineri verbum Dei: quamlibet fæminam ſuæ ſectæ eſſe verum Sacerdotem, qui conſecrare poſſit. Albigenſes propago quædam Waldenſium in Albigeſio in Gallia ſunt exorti. Docebant iſti cum Manichæis duo eſſe rerum principia, bonum nempe ſeu Deum, & malum ſive Diabolum, quem credebant omnia corpora creaſſe. Negabant confeſſionem peccatorum, purgatorium, infernum, reſurrectionem corporum, funeralia, Eccleſiam, baptiſmum, Euchariſtiam, extremam unctionem &c. abjiciebant. Transmigrationem animarum

Digitized by Google

in corpora etiam brutorum prædicabant. Chriſtum non fuiſſe verum Deum, & hominem. Ante adventum Chriſti nullos fuiſſe bonos. Nullum eſſe peccatum originale. Ablata non eſſe reſtituenda &c. Tandem tertio in hoc Concilio pro reformatione morum plurima ſtatuta ſunt.

Duodecimum Concilium Generale eſt *Lateranenſe IV.* anno 1215. celebratum temporibus Innocentii III. Imperatoris. Convenere ad hoc concilium 400. Epiſcopi: 70. Archi-Epiſcopi: 12. Abbates: 800. Priores, Decani, Præpoſiti, cum legatis Imperatoris occidentalis & orientalis, aliorumque Regum, Principum, Rerumpublicarum, ac Civitatum: Præſidente Papa per ſe. In hoc Concilio eſt primo conditum decretum ſacræ expeditionis inſtaurandæ pro recuperanda terra ſancta. In hoc concilio ſecundo damnati ſunt Albigenſes. Item damnatus eſt libellus, quem contra Petrum Lombardum ſcripſerat Joachimus Abbas de myſterio SS. Trinitatis: ubi aſſerebat, nullam rem eſſe, quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus S. Unitatem naturæ in tribus perſonis non eſſe veram, & propriam, ſed quaſi collectivam, & ſimilitudinariam, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Eccleſia. Non tamen ab hoc Concilio damnata eſt perſona Joachim: quia omnia ſua *ſcripta Sedi* Apoſtolicæ obtulit, ejus judicio aut approbanda, aut reprobanda, cum proteſtatione propria manu ſubſcripta, quod firmiter teneat eam fidem, quam Romana tenet Eccleſia. Etiam damnata ab hoc Concilio ſunt perverſiſſima dogmata impii *Almarici.* Erat hic Carnotenſis Hallus, qui viginti errorum eſt convictus: quorum unus erat, Chriſti corpus non magis eſſe in pane, quam in qualibet alia re &c. Corpus ejus exhumatum, & exuſtum eſt, ejus autem ſectatores, quos inter erat Aurifaber, qui ſe Prophetam dicebat, Pariſiis vivi ſunt concremati. Tandem in hoc Concilio pro diſciplina Eccleſiaſtica Canones 70. ſunt ſanciti, qui in V. libros Decretalium Gregorii IX. ſunt relati. Circa hoc Concilium ſpecialiter

Advertendum: quod, quando in S. Canonibus ſimpliciter fit mentio de generali Concilio, etiamſi nomen Pontificis non exprimatur, ſemper intelligatur de hoc *Lateranenſi IV.* ut *in cap. Quia*

non

nonnulli de Cler. non reſid. In c. 2. de ſtatu Monach. &c. Et ideo conſtitutio rubricæ *de ſumm. Trinit. & fid. Cath.* inſcribitur: Innocentius III. in Concilio generali, id eſt in Concilio Lateranenſi IV. Hoc autem ideo eſt: quia cum paulo ante fuiſſet celebratum aliud Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. idque jam ubique appellaretur Concilium Lateranenſe etiam ſine ulla Pontificis mentione, ut *in cap. 2. in inſcript. de ſtatu Monach.* & ſæpe alibi: adeoque ad conſtituendam differentiam inter hæc duo Concilia, hoc poſterius fuit ſimpliciter nuncupatum Generale: quod inſinuatur *in Clem. unic. de immunit. Eccleſ.* in illis verbis: *in Lateranenſi & Generali Concilio*: ubi ad differentiam Concilium Alexandri III. vocatur *Lateranenſe*, & Concilium Innocentii III. *Generale.*

Decimumtertium Concilium Generale eſt *Lugdunenſe I.* dicitur ab urbe Lugduno in Gallia, quæ delecta eſt, cum in Italia armis Friderici Imperatoris, & Gibellinorum eidem adhærentium omnia eſſent turbata. Celebratum eſt anno 1245. temporibus Innocentii IV. Papæ Romani, & Friderici II. Imperatoris. Convenere ad hoc Concilium 140. Epiſcopi Præſidente ipſo ſummo Pontifice per ſe. In hoc Concilio excommunicatus, & depoſitus eſt Imperator Fridericus II. ſeu Barbaroſſa, Papæ rebellis: Decreta item eſt nova expeditio cruciata adverſum Saracenos in terram ſanctam: atque editi complures canones ad diſciplinam Eccleſiæ ſpectantes, quos Bonifacius VIII. Sexto Decretalium libro inſeruit.

Decimumquartum Concilium Generale eſt *Lugdunenſe II.* celebratum eſt anno 1274. temporibus Gregorii X. Papæ Romani, & Rudolphi I. Imperatoris. Convenere ad hoc concilium 500. Epiſcopi aliique Patres ultra 500. Præſidente Papa per ſe. In hoc concilio damnata eſt hæreſis Græcorum dicentium, Spiritum S. non procedere à Filio, ſed à ſolo Patre. Item facta eſt unio cum Græcis, quorum Imperator Michael Paleologus ipſemet erat præſens: Et ſimul actum eſt de recuperanda Palæſtina.

Decimumquintum Concilium Generale eſt *Viennenſe* dictum ab urbe Vienna in Galliis. Celebratum eſt anno 1311. temporibus Clementis V. Papæ Romani, & Henrici VII. Imperatoris. Conve-

venere ad hoc concilium 300. Epiſcopi Præſidente Papa per ſe. Principalis cauſa hujus concilii congregati erat ad abolendum ordinem Templariorum, propter nimios abuſus, & impietatem factum Eccleſiæ noxium. Fundatus erat hic ordo Equeſtris Templariorum anno 1118. Jeroſolymis ſub primo illius Magiſtro Hugone de Paganis, qui cum octo aliis vota Religioſa emiſit in manibus Patriarchæ Jeroſolymitani: & quia juxta templum habitabant in domo à Balduino II. conceſſa ipſis, Templariorum nomen ipſis adhæſit. Finis hujus inſtituti erat, Chriſtianos præcipue ad S. Chriſti ſepulchrum peregrinantes à Barbarorum, latronum, & piratarum incurſibus defendere: quo in munere cum ſtrenuam per plures annos operam poſuiſſent adeo, ut non pauci ſanguinem etiam pro Chriſto funderent, tandem à pio ſuo, ac Religioſo inſtituto degeneres, immenſis opibus aucti, ex illuſtriſſimis familiis congregati, toto orbe propagati, eo malitiæ ſunt prolapſi, ut Chriſtum abnegarent, ejuſque imaginem conſpuerent, occulta cum Saracenis & Turcis fædera pangerent, ſeque nefandis impietatis, ac libidinis flagitiis polluerent, ipſo Ordinis Magiſtro & Duce, & complice flagitiorum. Horum, aliorumque graviſſimorum ſcelerum cum apud Clementem V. Pontificem eſſent accuſati, is, an vera eſſent, diligenter tum per ſe, tum per Cardinales, & Epiſcopos inquiſivit. Comprobata ſunt omnia, per diverſas Provincias Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ inſtitutis proceſſibus, teſtium ferè 2000. depoſitione, ac ipſa 72. Equitum confeſſione. Sublatus ergo eſt ordo ille non per modum definitivæ ſententiæ, ſed per viam proviſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ, ut loquitur Pontifex: prohibitumque, ne quis pro Templario ſe gerere deinceps præſumat ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda. Bona Templariorum Clemens V. addixit Ordini Equitum S. Joannis Hieroſolymitani (qui hodie Melitenſes dicuntur) in hoc Concilio, ut patet ex ſententia de extinctione in concilio lata.

Altera cauſa Concilii fuerunt varii errores *Petri Joannis*, *Fraticellorum*, *Dulciniſtarum*, *Beguardorum*, *& Beguinarum* tunc graſſantes. *Petrus Joannis* erat diſcipulus Joachimi Abbatis: negabat ille animam rationalem eſſe formam humani corporis; item gratiam

tiam

tiam, & virtutes in baptiſmo infundi: contra vero aſſeruit, Chriſti latus adhuc viventis eſſe lancea percuſſum. *Fraticelli* (dicti etiam *Dulciniſtæ*, à Dulcino quodam, cujus concubinam de Spiritu S. concepiſſe impie delirabant) promiſcuos concubitus in locis occultis exercebant: viſionem beatam animarum uſque ad noviſſimum judicii diem differri aſſerebant. *Beguardi*, & *Beguinæ* docebant, hominem in hac vita ad tantam perfectionem venire poſſe, ut reddatur penitus impeccabilis, & gratiam ulterius augere non poſſit, alias enim fore, ut perfectior fieret Chriſto. Hominem in hoc perfectionis gradu poſſe corpori concedere, quid quid lubet: nec amplius eſſe ſubjectum præceptis; talem jam in hac vita tenere finalem beatitudinem. Intellectualem naturam per ſe ipſam eſſe beatam, nec indigere lumine gloriæ ipſam elevante ad Dei viſionem beatificam: virtutum actus exercere eſſe hominis imperfecti, non autem perfecti: actum carnalem non eſſe peccatum, eo quod ad eum inclinet natura: hominem perfectum contemplativum non debere Chriſto Euchariſtico reverentiam exhibere, ne contemplatio turbetur. Omnes iſti errores damnati ſunt ab hoc Concilio.

Actum etiam eſt in hoc Concilio de expeditione in terram ſanctam: & edita multa alia Decreta pro diſciplina Eccleſiæ: & Canones, qui in unum volumen congeſti vocantur *Clementinæ*: quæ habentur in jure Canonico poſt ſextum Decretalium.

Decimumſextum Concilium Generale eſt *Florentinum*: hoc Concilium anno 1438. Ferrariæ eſt inchoatum, Florentiæ 1439. propagatum, & tandem Romæ 1445. eſt. finitum. Celebratum eſt temporibus Eugenii IV. Papæ Romani, & Alberti II. Imperatoris. Convenere ad hoc Concilium Epiſcopi occidentalis, & orientalis Eccleſiæ, Præſidente Papa per ſe. Unita fuit in hoc Concilio orientalis & occidentalis Eccleſia: ab utraque Definitum, Spiritum S. à Filio procedere: & bene ſymbolo additum fuiſſe *Filioque*: relicta tamen græcis eſt libertas, vocem illam *Filioque* ſymbolo ſuo inferendi, modo proceſſionem Spiritus S. etiam à Filio credant. Definitum etiam in hoc Concilio eſt purgatorium &c. Facta quoque unio cum Armenis &c.

Decimumſeptimum Concilium Generale eſt *Lateranenſe V.*

 Inchoa-

Inchoatum eſt anno 1512. ſub Julio II. Papa Romano: finitum anno 1517. ſub Leone X. Julii Succeſſore, & Maximiliano I. Imperatore. Convenere ad hoc Concilium Patres 114. Præſidente Papa per ſe. In hoc Concilio damnatur Conciliabulum Piſanum, omniaque in eo geſta declarantur irrita. Definitum fuit, animam hominis eſſe immortalem, atque in ſingulis hominibus exiſtere ſingulas, non vero unam tantum in omnibus. Aſſertum fuit, Pontificem ſuper omnia Concilia poteſtatem habere &c.

Decimum octavum Concilium Generale eſt *Tridentinum*, Tridenti in Germania cœptum, Bononiæ continuatum, & Tridenti abſolutum. Inchoatum eſt 1545. ſub Paulo III. Pontifice: eſt continuatum ſub Julio III. Paulo III. finitum eſt 1583. ſub Pio IV. Pontifice, & Carolo V. ac Ferdinando I. Imperatoribus. Convenere ad hoc Concilium 255. Patres, Præſidentibus legatis Papæ. Damnati ſunt in hoc Concilio Lutherani, Sacramentarii, aliique Sectarii. Recolligantur dicta §. præcedentis.

De Conciliis Generalibus illegitimis.

PRimum Generale Concilium illegitimum eſt *Antiochenum*. Celebratum eſt anno 345. ſub Julio I. Papa Romano, & Conſtantino Imperatore Ariano. Hoc Concilium vel potius Conciliabulum coegerunt Ariani, ducibus Euſebiis, Nicomedienſi ſcilicet, qui Conſtantinopolitanam ſedem poſt Beritenſem, & Nicomedienſem invaſerat: & Cæſareenſi. Convenere circiter 90. Epiſcopi, aliique omnes Ariani. In hoc Concilio depoſitio Athanaſii ab Epiſcopatu Alexandrino, ejuſque condemnatio eſt confirmata, intruſo in Alexandrinam ſedem Gregorio Capadoce homine impio, à quo omnes boni abhorruerunt. Depoſitus etiam eſt in hoc conciliabulo, & in Exilium ejectus Euſtathius Patriarcha Antiochenus, invictiſſimus Nicænæ fidei defenſor. Etiam in hoc Concilio via ad everſionem Concilii Nicæni I. patefacta eſt.

Secundum Generale Concilium illegitimum eſt *Mediolanenſe*. Celebratum eſt anno 355. ſub Liberio Pontifice, Imperatore Conſtantio Ariano. Convenere ad hoc Concilium circiter 300. Epiſco-

ſcopi. Hoc Concilium legitime inchoatum, progreſſu tamen, & exitu illegitimum fuit: nam in eo omnia per vim acta ſunt ab Urſacio, & Valente Arianis in pannonia Epiſcopis: qui in priori Mediolanenſi Concilio habito, & à Catholicis celebrato, in quo confirmatum eſt ſymbolum Synodi Nicænæ: errores Arianos ejurarunt, ſymbolo ſubſcripſerunt, & ideo à Pontifice recepti, iterum reverſi ſunt ad Arianam perfidiam. Compulſi ſunt à Conſtantio minis Epiſcopi Catholici ſubſcribere condemnationi Athanaſii: renitentes atrociſſime vexati, flagellis cæſi, & in exilium miſſi ſunt. Imo ipſe etiam Papa Liberius à Conciliabulo iſto depoſitus, & in Thraciam relegatus eſt, intruſo ab Arianis in Sedem Apoſtolicam Felice Romanæ Eccleſiæ Diacono, qui Athanaſii damnationi ſubſcripſit.

Tertium Generale Concilium illegitimum eſt *Ariminenſe*, non illud, quod ſub Liberio Pontifice anno 359. celebratum eſt, & ultra 300. Epiſcopi Catholici proteſtati ſunt, ſe nulli alteri fidei formulæ ſubſcripturos, niſi Nicænæ, ſimulque Valentem, Urſacium & Auxentium damnarunt. Sed quod celebratum eſt anno 373. ſub Damaſo I. Pontifice, & Conſtantio Imperatore. Convenere 600. Epiſcopi: in hoc Concilio ſublatum eſt de ſymbolo nomen *Homouſios*, hoc eſt conſubſtantialis, partim ex errore lingvæ, partim per fraudem Arianorum, quibus hoc concilium favebat.

Quartum Generale Concilium illegitimum eſt *Epheſinum II.* celebratum eſt anno 449. ſub Leone I. Pontifice, & Theodoſio Juniore Imperatore. Convenere circiter 128. Epiſcopi. Hoc concilium merito vocatum eſt latrocinium, quia omnia acta ſunt vi: factione enim Dioſcori S. Flavius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in eo occiſus eſt, legati Leonis Pontificis fugati, & Eutyches abſolutus eſt, ejuſque hæreſis confirmata

Quintum Generale Concilium illegitimum eſt *Conſtantinopolitanum.* Celebratum eſt anno 729. ſub Gregorio II. Pontifice, & Leone Iſaurico Imperatore. Huic Concilio interfuere plerique Laici, nullus Patriarcharum, excepto S. Germano, qui tamen non conſenſit, & ideo à ſua ſede conſtantinopolitana dejectus eſt. Agebatur in hoc concilio contra Chriſti, Sanctorumque imagines.

Sextum Generale Concilium illegitimum eſt aliud *Conſtantinopolitanum.* Celebratum eſt anno 754. tempore Stephani II. vel III. Papæ, & Conſtantio Copronymo Imperatore. Convenere circiter 338. Epiſcopi, ſed nullus adfuit Patriarcharum, excepto Pſevdo-Epiſcopo conſtantinopolitano: definitum in hoc concilio fuit, Chriſti, Sanctorumque imagines omnino abolendas eſſe.

Septimum Generale Concilium illegitimum eſt *Piſanum* poſterius. Celebratum eſt anno 1511. temporibus Julii II. Papæ, & Maximiliani I. Imperatoris. Congregatum eſt ab Imperatore, & Rege Galliæ, ac aliquot Cardinalibus contra Julium II. ſed mox reprobatum in Concilio Lateranenſi V. ſub eodem Julio II. & Leone X.

Octavum Generale Concilium illegitimum eſt *Wittenbergenſe:* quod Lutherani Generale vocant. Celebratum eſt 1536. Convenere 300. Paſtores Præſide Luthero.

De Conciliis Generalibus partim approbatis, partim reprobatis.

PRimum eſt Sardicenſe. Celebratum anno 351. ſub Julio I. Pontifice & Conſtantio Imperatore Ariano. Convenerunt ad hoc Concilium 300. Epiſcopi occidentales, & 76. orientales. Hoc Concilium eſt appendix Concilii Nicæni I. In hoc Epiſcopi occidentales confirmarunt fidem catholicam, orientales autem ſtabant pro hæreſi Ariana: & ideo horum acta rejecta ſunt: non vero illorum, utpote qui nihil aliud ſtatuerunt, quam, quod Concilium Nicænum confirmaverint, canoneſque illius explicatos corroboraverint.

Secundum eſt Sirmienſe. Celebratum Sirmii in Panonia anno 356. ſub Liberio Pontifice, & Conſtantio Imperatore Ariano. In hoc ab Arianis Epiſcopis duplex fidei formula eſt conſcripta: una, quæ poſitive nihil contra fidem continebat, & huic ſubſcripſit Liberius Papa ærumnis & calamitatibus exilii preſſus, atque cum aliquibus Arianis Epiſcopis, Catholicos ſe ſimulantibus, communicavit, conſenſitque etiam in depoſitionem Athanaſii gravium criminum accuſati. Altera formula plane Ariana fuit, aſſerens,

Pa-

Patrem majorem eſſeFilio honore,dignitate,ac Deitate: à voce vero *Conſubſtantialis* abſtinendum eſſe, eo quod de illa nihil ſcriptum ſit in ſacris literis. Ecce effigiatum Dogma Lutheranorum in Arianis: *nihil credendum, quod non ſit expreſſum in S. Scriptura.* In hoc Concilio Sirmienſi ſuccubuit ille tot palmarum Heros, tot Conciliorum Præſes fortiſſimus, Magnus *Oſius* Cordubenſis in Hiſpania Epiſcopus prope jam Centenarius, dum infelix per vim, & tormenta ab Arianis impulſus ſecundæ eorum formulæ plane impiæ ſubſcripſit, & Arianis Epiſcopis ſacrorum communione ſociatus eſt. Reſipuit tamen ante mortem damnata Ariana hæreſi, de vi ac plagis ſibi illatis conqueſtus. Ut tamen Athanaſium damnaret, neque in lapſu illo ſuo adduci potuit.

Tertium Concilium eſt Trullanum, quod *Quini-ſextum* appellatur: quia nec eſt quintum, nec eſt ſextum, ſed ex utroque Canones (ante non editos) collegit, & plures ex ſuo addidit, ut adeo 102. Canones Trullani prodirent. Dictum autem eſt *Trullanum*, quia aliquot annis poſt ſextam ſynodum Generalem anno circiter 692. ſub Sergio I. Pontifice, & Juſtiniano II. ſeu Juniore Imperatore Epiſcopi 211. in palatio, quod *Trullum* vocabatur, Conſtantinopoli convenerant, & dictos Canones ediderunt, nec Pontifice, nec ejus legatis præſentibus. Unde etiam Sergius Papa tanquam erraticam ſynodum reprobavit. Quare Canones iſti per ſe non habent vim legis. Aliqui tamen poſtea approbati, & recepti ſunt à Pontifice, aut legitimis conciliis: ſic Canon 82. de pingendis S. imaginibus receptus eſt ab Adriano I. & ſynodo VII.

Quartum eſt Concilium Francofordienſe. Celebratum eſt anno 794. ſub Adriano I. Pontifice, & Carolo Magno Rege Francorum, tum nondum Imperatore. Convenere 300. Epiſcopi, legatis Papæ Præſidentibus. Hoc Concilium, in quantum ex errore damnavit VII. ſynodum, Adrianus I. reprobavit; in quantum vero definivit, Chriſtum non eſſe Filium Dei adoptivum, ſed naturalem, illud approbavit.

Quintum eſt Conſtantienſe, Conſtantiæ ad lacum Bodamicum celebratum ab anno 1414. uſque ad annum 1418. ſub Sigiſmundo Imperatore, adnitente ad tollendum ſchiſma inter Gregorium XII.

Benedictum XIII. & Joannem XXIII. eorumque adhærentes exortum. Convenere 300. Epiſcopi, & 700. minores Prælati. Prædictis ergo tribus Antipapis abdicantibus, aut abdicatis, & depoſitis à Concilio electus eſt Martinus V. Hoc igitur Concilium recipitur à tota Eccleſia quoad ſeſſiones ultimas, quibus præfuit Martinus V. & quoad ea decreta, quibus damnati ſunt Wiclephiſtæ, & Huſſitæ. Quoad ea vero, quibus concilii authoritatem ſupra Pontificem extollere viſum eſt, reprobatum fuit à concilio Lateranenſi V.

Sextum eſt Baſileenſe, inchoatum 1431. Baſileæ ad Rhenum ſub Eugenio IV. Pontifice: abſolutum vero Lauſannæ ad lacum genevenſem 1449. ſub Nicolao V. Pontifice. Concilium hoc quidem legitime cœptum eſt, ſed cum in Eugenium IV. ſummum Pontificem inſurgeret, transtulit Pontifex hic concilium primùm Ferrariam, deinde Florentiam, ſeptem Epiſcopis cum uno Cardinale pertinaciter Baſileæ, ac Lauſannæ hærentibus, ac Amadæum Sabaudiæ Ducem ſub nomine Felicis V. eligentibus. Tandem Nicolao V. Eugenii ſucceſſori tam concilium illud, quam ipſius Pſevdo-Papa ſe ſubjecerunt. Conciliabulum hoc reprobatum fuit in Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. ſeſſ. XI. Exceptis quibuſdam diſpoſitionibus circa beneficia Eccleſiaſtica, quas Nicolaus V. approbavit.

De Concilio Piſano I. in quo anno 1409. convenere 180. Epiſcopi, & 900. minores Prælati, & in eo depoſiti ſunt Gregorius XII. & Petrus de luna (qui ſub nomine Benedicti XIII. Pontificatum invaſerat) electusque Alexander V. dubium eſt, an ſit Generale approbatum? an vero reprobatum? Ratio dubitandi eſt, quia ex una parte communis fere eſt opinio Alexandrum V. in hoc concilio electum, & Joannem XXIII. qui Alexandro ſucceſſit (viventibus adhuc Gregorio XII. & Benedicto XIII. in hoc concilio depoſitis) fuiſſe veros Pontifices: alias Borgia non Alexandrum VI. ſed V. ſe nominaſſet. Contra vero S. Antoninus cum aliis Concilium hoc Piſanum pro illegitimo habet: in quo non ſublatum ſchiſma, ſed auctum eſt. Ob quas cauſas hoc concilium dicitur nec manifeſte approbatum, nec manifeſte reprobatum.

Et

Digitized by Google

Et hæc ſunt Concilia omnia, quæ vel ſunt, vel vocantur Generalia, & Oecumenica. Prima XVIII. ſunt approbata à Pontificibus, & recepta ab omnibus Catholicis: nam de primis VIII. id conſtat ex Decreto Gratiani *diſt.* 16. *can. Sancta octo.* De ſequentibus IX. patet ex eo, quia illis præfuit Pontifex vel per ſe, vel per ſuos legatos. De Tridentino autem id patet ex confirmatione Pii IV.

Ex memoratis conciliis Græci recipiunt ſolum prima VII. Lutherani, & Calviniſtæ prima VI. vel IV. Cæterum valde multa concilia Particularia, Nationalia, & Provincialia habita ſunt, adeoque ut ultra 1600. in toto numerentur, quæ, ſi ſint à Pontifice approbata, vel ſaltem in quantum ſunt approbata, ſunt infallibilia in deciſionibus fidei, & quoad mores ſunt univerſales.

PARAGRAPHUS OCTAVUS.

DE

CONVENIENTIIS, & DIFFERENTIIS JURIS CIVILIS CUM JURE CANONICO.

OBſervandum I. Convenientias, & differentias Juris Civilis cum Canonico eſſe multiplices, easque generatim ex omnibus quatuor cauſarum generibus deſumi poſſe; ut mox clare patebit inductione.

Obſervandum 2. Quantum *ad cauſam finalem* utrumque jus convenire. Ratio eſt: quia utrumque jus intendit hominem dirigere in bonum commune: Canonicum videlicet in bonum commune Eccleſiaſticum, ſeu concernens ſtatum univerſalis Eccleſiæ, ejusque rectam gubernationem; Civile vero in bonum commune politicum, atque reſpiciens commoda, rectamque gubernationem totius Reipublicæ Civilis. Inſuper conveniunt ex eo, quia utriusque juris præcepta ſunt hæc: *honeſte vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere*: prout notatur in *§. Juris præcepta. Inſtit. de juſt. & jur.* Et in proemio Decretalium Gregorii Papæ

IX.

IX. Attamen ex parte ipſiſſimæ hujus cauſæ finalis ambo Jura plurimum inter ſe differunt. Primo quidem quoad modum inducendi in bonum commune: nam jus Civile intendit hominem inducere in bonum commune, prout congruit humanæ ſocietati civiliter, & temporaliter vivendi: quod fit per legalem juſtitiam, & civilem amicitiam; at vero jus Canonicum intendit hominem dirigere in bonum commune, ſecundum quod congruit humanæ ſocietati non ſolum civiliter, ſed & ſpiritualiter, & chriſtiane viventi, ac tendenti ad ultimum finem: quod fit per veram juſtitiam chriſtianam, atque obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, fidemque, quæ juxta Apoſtolum per charitatem operatur. Secundo ex parte cauſæ finalis ambo jura differunt, quia juris Canonici finis proximus, primarius, & principaliter intentus eſt cultus Divinus, atque obſervantia juſtitiæ in populo fideli: remotus vero, ac mediatus, ac ultimatus eſt vita æterna, ſive conſecutio cœleſtis beatitudinis, quam adipiſcunt fideles jus illud obſervantes: ac tandem finis minus principalis eſt bonum commune populi Chriſtiani, quod ex recta obſervantia mandatorum Dei, & SS. Canonum toti communitati obvenit, dum tribuitur cuilibet, quod ſuum eſt. Econtra jus Civile reſpicit finem mere temporalem, videlicet politicam Reipublicæ gubernationem, civiumque pacificam inter ſe ſocietatem, & quidem principaliter, neque ulterius, quantum ex ſe eſt, procedit: prout notavit Pontifex *in cap. Exiit. ʃ. nec quiſquam de V. S.* Fatetur hoc ipſum Juſtinianus Imperator *L. 1. §. 1. & 2. Cod. de Novo cod. faciend.* Accedit quod primi legum civilium conditores, videlicet Populus Romanus, & Imperatores etiamnum gentiles, veræque fidei lumine deſtituti, alium finem ſupernaturalem, atque æternam beatitudinem non agnoverint, neque reſpexerint.

Neque obſtat, quod jus Civile doceat honeſte vivere, juſtitiam colere, neminemque lædere, *ʃ. Juris præcepta Inſtit. de juſt. & jur.* ac alibi. Item quod *jurisprudentia ſit Divinarum, & humanarum rerum notitia, juſti, atque injuſti ſcientia*: ut dicitur *§. jurisprudentia Inſtit. eod.* Item quod etiam in ipſo corpore juris civilis prout à Juſtiniano Imperatore Chriſtiano in meliorem, & compendioſiorem formam redactum eſt, plura habeantur de ſumma

Tri-

Trinitate, & Fide Catholica, & de SS. Eccleſiis, Epiſcopis, Clericis: item de Hæreticis, eorumque pænis, ac hujuſmodi: adeoque non videatur habere finem mere temporalem. Non inquam obſtat: nam hinc ſolum ſequitur, quod operam daturus in jure Civili ſive addiſcendo, ſive pertractando poſſit huic ſuo labori finem ſupernaturalem ex propria pia intentione (qualis dicitur *finis operantis*) præſtituere, & in Deum ut ultimum finem referre. Non tamen ſequitur, hunc finem ex ſe jam intendi ab ipſomet jure civili: cum per ſe loquendo ordinetur ſolum ad conſervandum bonum commune Reipublicæ, ipſoſque hominum mores informandos, ſecundum quod expediens videbatur ad pacificam ſubditorum converſationem, ſtatumque Reipublicæ tranquillum manutenendum. Unde ex allatis rationibus ſolum ſequitur, quod jus civile per accidens reſpiciat ſalutem animarum ſpiritualem, in quantum vitia cohibet, & honeſte vivere docet, non tamen hunc finem per ſe & directe intendit. Igitur mens legum civilium, ipſorumque Imperatorum, dum quandoque alia immiſcent de Religione, ipſiſque Eccleſiis, & Clericis, alia non fuit, niſi curæ ſuæ à Deo commiſſis incumbere, procurandi temporalem ſuorum ſubditorum utilitatem, & communem Reipublicæ pacem, quæ per ſciſſuras hæreſum, & ſacrarum rerum profanationem, atque impunitatem vitiorum vel maxime læditur, & conturbatur: ad altiora vero ſeſe non extendit: quia alioquin jus civile, ipſique Imperatores ſe extendiſſent ultra poteſtatem ſuam, quam à Deo acceperunt: nam Chriſtus Dominus actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis, diſcrevit officia Poteſtatis Pontificalis, & Imperatoriæ. *Can. cum ad verum. & can. duo ſunt. diſt.* 96. juncto *cap. ſolitæ de Majorit. & obed.* Ita tamen, quod utraque poteſtas ſeſe mutuo juvare debeat: & ut dicitur *Can. Princeps, cum ſequent. cauſa XXIII. q.* 5. *Quod Sacerdotes efficere docendo non valent, diſciplinæ terrore poteſtas ſæcularis extorqueat.* De reliquo autem Principibus ſæculi, ac Regibus Civilibus vires non ſuppetunt ad tractandum ſpiritualia, & res ad æternam vitam ſpectantes *arg. can. Bene quidem diſt.* 66. Et *cap. Eccleſiæ S. Mariæ de conſtit.* Sed talia ſpectant ad juriſdictionem Eccleſiaſticam, ſummumque Pontificem in terris Vicarium. Proinde citatæ leges de SS. Eccleſiis,

Digitized by Google

Clericis, ac hujuſmodi diſponentes, aliter non obligant, niſi quatenus ab Eccleſia ſunt receptæ, & approbatæ. Ex quibus etiam patet, quomodo Juriſprudentia ſit Divinarum, & humanarum rerum notitia; nam ipſa eſt talis notitia, quatenus circa res tum Divinas, tum humanas docet adminiſtrari juſtitiam, arceri injurias, juvatque ad gubernandam rempublicam, ſemper tamen ſtando intra limites ſuæ poteſtatis.

Obſervandum 3. *Quantum ad cauſam efficientem* convenit jus Civile cum Canonico quoad cauſam principalem remotam: utrumque enim jus procedit primario à Deo tanquam à ſupremo legiſlatore: *non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Rom. cap.* 13. qui proinde, quod juſtum eſt, decernit, & promulgat omnia jura humana, remote tamen, ac mediate, videlicet mediantibus Romanis Pontificibus, & Imperatoribus, quibus ipſemet contulit poteſtatem legiſlativam. Cæterum ex parte cauſæ efficientis proximæ, ſeu immediatæ differentia eſt intra utrumque jus maxima. Nam jus Canonicum tum per SS. Apoſtolos, tum ſummos Pontifices legitimos S. Petri ſucceſſores, Chriſtique in terris Vicarios, ſive in Conciliis Generalibus, ſive extra illud conſtitutum, eorumque authoritate in unum corpus redactum, & confirmatum fuit, idque poteſtate Eccleſiaſtica extendente ſe in univerſum orbem Chriſtianum, & proxime, ac immediate à Deo accepta, uti fuſius declaratur *in cap. ſolitæ* 6. *de Majorit. & obed.* Item *cap. Novit.* 13. *§. cum enim de judiciis.* Item *extravag. unam ſanctam §. in hac de Majorit. & obed.* Econtra jus Civile vel per populum Romanum, vel per ſuos Imperatores (& quidem uſque ad Conſtantinum Magnum Gentiles) ſancitum, atque conſtitutum fuit, idque poteſtate mere Civili, & humana, utpote immediate proveniente à populo, qui per legem Regiam omne imperium ſuum, & poteſtatem in Imperatorem contulit: *L.* 1. *de conſtitut. Principum.* Item *§. ſed & quod. Inſtit. de J.N. & C.* Simulque non pro toto orbe terrarum, ſed pro ſolis Regnis, ac Provinciis Romano Imperio ſubjectis, prout inter alia conſtat. *ex cap. ſuper ſpecula* 28. *de Privileg.* ubi legitur: *quia tamen in Francia, & nonnullis Provinciis Laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur.*

Ob-

Obſervandum 4. *Quoad cauſam materialem* Jus Civile convenit cum Canonico in hoc, quod utriuſque juris objectum materiale remotum, ſive materia circa quam, ſint Perſonæ, Res, & Actiones ſive judicia. De his quidem non tantum jus Civile per totum tractat. *arg. L. 1. ff. de ſtatu homin.* ubi dicitur *: omne jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res vel ad Actiones:* ſed etiam jus Canonicum, utpote in I. III. & IV. Decretalium præcipue tractans de Perſonis & rebus Eccleſiaſticis: in II. autem & V. de actionibus tum Civilibus, tum criminalibus. Differt autem ſecundum cauſam materialem jus Civile à Canonico, quod iſtud præcipue verſetur circa Perſonas, Reſque ſacras, & Eccleſiaſticas, ut puta circa Epiſcopos, Clericos tum ſæculares, tum Regulares, Eccleſias, & Eccleſiaſtica Beneficia, nec non Sacramenta N. L. &c. Ad rectam Eccleſiæ gubernationem, ſalutem animarum, & ſpiritualium fidelium profectum pertinentia, una cum annexis cauſis judiciariis, & actionibus huc ſpectantibus: & ſi quandoque nonnulla profana immiſceat, v.g. agendo de contractibus, & teſtamentis, hæc ipſa præcipue in ordine ad memoratas perſonas, vel res ſacras contemplatur, cavendo ſimul vel maxime, ne ulla in talibus peccandi labes irrepat, v.g. ne res Eccleſiæ illicitæ alienentur, ne in contractibus, vel teſtamentis, aut horum executione iniquitas committatur, &c. Econtra jus Civile verſatur circa Perſonas, Res & actiones mere profanas, & civiles ac prout hæ conſtituunt ipſam rempublicam politicam, atque tranquillam ejus gubernationem, & pacificam duntaxat civium inter ſe converſationem reſpiciunt.

Obſervandum 5. *Quoad cauſam formalem* Jus Civile convenit cum Canonico in hoc, quod utriuſque juris objectum formale ſit homo dirigibilis ſecundum æqui, & boni rationem, ipſiuſque juris præſcriptum: ad hoc enim, ut homo taliter recte dirigatur, tractat utrumque jus & de Perſonis, & Rebus, & de Actionibus, in hoc proinde utrumque jus convenit. Differt autem jus Civile à Canonico taliter ſecundum rationem formalem conſiderando hominem: nam jus Civile conſiderat hominem ut dirigibilem in bonum commune reipublicæ politicæ, & ad pacificam civium inter ſe ſocietatem, neque ultra progreditur. Jus Ca-

nonicum vero reſpicit hominem ut dirigibilem principaliter in Deum, atque conſequendam ultimate vitam æternam, & minus principaliter ut dirigibilem in bonum commune ſtatus Eccleſiaſtici, populique Chriſtiani: Iuxta Gloſſam *in Reg. 2. Juris in 6.*

PARAGRAPHUS NONUS.

DE
DIFFERENTIIS, SEU CONTRARIETATIBUS SPECIALIBUS INTER JUS CANONICUM ET CIVILE.

OBſervandum: quod differentiæ, ſeu contrarietates ſpeciales inter jus utrumque repertæ, generatim ad quinque capita reducantur: vel enim concernunt materiam conſcientiæ, & ubi periculum imminet peccati: vel res Eccleſiaſticas, & ſpirituales: vel proceſſum judiciarium: vel res, ſeu materias profanas: vel pænas delinquentibus debitas. De omnibus his ſpeciatim differentiæ aſſignantur.

Et quidem Primò quantum ad materiam conſcientiæ inter utrumque jus quindecim ſequentes reperiuntur differentiæ, & contrarietates ſpeciales juxta communem Authorum ſenſum.

I. De Jure Civili, Poſſeſſor malæ fidei res ſic poſſeſſas præſcribit tempore longiſſimo. *L. ſicut.* Item *L. omnes.* Item *L. cum notiſſimi. Cod. de præſcript. 30. vel 40. ann.* ſecus eſt de jure Canonico *cap. ult. de præſcript.* ubi leges civiles allegatæ, velut nutritivæ peccati expreſſe vocantur. Item jus Civile requirit ad præſcriptionem ordinariam bonam fidem tantum ab initio, & ſi poſtea ſuperveniat mala fides, non impedit uſucaptionem. *L. bona fides 48. §. Contrarium ff. de acquir. rer. dom.* ubi videtur manifeſtum peccatum foveri, dum conceditur retineri poſſe rem alienam, poſtquam noſcitur aliena. At vero de jure Canonico toto tempore, quo uſucaptio currit, bona fides requiritur. *cap. fin. de præſcript.*

Item

Item *cap. Poſſeſſor. de R. J. in* 6. qui enim novit ſe rem alienam poſſidere, reſtitutioni obnoxius eſt *cap. ſæpe* 18. X. *de reſtit. ſpoliat.* Aliter ſe habet, ſi quis poſt uſucaptionem completam reſciat priorem rei dominum, tunc enim ad reſtitutionem amplius non tenetur, quia lex juſta ei plenum addixit dominium, quæ facit tutum in conſcientia. Pariter juxta jus Canonicum *in cap. fin. de ſepult.* Et *in cap. in literis de raptoribus* ſtatuitur, ut hæredes defuncti, qui aliis in vita damnum intulit, ad exonerandam ejus conſcientiam (non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum) teneantur juxta vires hæreditatis ad ſe devolutæ illud damnum à defuncto datum reſarcire. Econtra leges civiles non obligant hæredem ad damnum à defuncto datum, niſi inquantum ex tali damno v.g. furto, aut rapina, ad eum pervenit, vel lis cum defuncto jam conſtituta fuerit *L. unic. cod. ex delicto defuncti &c.* Unde ſi ex delicto defuncti nihil ad hæredes pervenit, nec cum defuncto lis conteſtata fuit, jus Civile abſolvit hæredes illius. Licet nihil magis æquitas naturalis poſtulet, quam ut ex bonis defuncti damnum ejus culpa datum reparetur: imo jure naturali nec ſunt bona defuncti, niſi hoc ære alieno, ſeu læſione deducta. Denique omiſſis pluribus aliis, quæ in diverſis titulis occurrunt, ſic jus Civile *in tit. ff. de concubinis.* Et *cod. eod.* Item i*n Novel.* 18. permittit impune concubinatum, ſeu ut unica cœlebs à cœlibe habeatur citra affectum uxoris: cum tamen omnis conjunctio maris & fæminæ extra matrimonium ſit peccatum mortale, eoque gravius, quo diuturnius. Qua de cauſa jus Canonicum prohibet, & damnat concubinatum *in can. audite.* 6. *diſt.* 34. Item *can. meretrices cauſa* 32. *q.* 4. Imo Concilium Tridentinum noviſſime ſtatuit, qualiter adverſus concubinarios locorum Ordinarii per cenſuras, & invocationem brachii ſæcularis procedere debeant *ſeſſ.* 24. *de reformat. matrim. cap.* 8. Item *ſeſſ.* 25. *cap.* 14. Neque obſtat. *Can. is qui.* Et *can. Chriſtiano. diſt.* 34. Ubi ex ſententia antiquorum Patrum Chriſtiano una tantum aut uxor, aut concubina permittitur. Non inquam obſtat: quia ibi nomine concubinæ non intelligitur ſcortum (quod SS.PP. contra prohibitiones juris Divini permittere utique non potuiſſent) ſed uxor, ducta quidem per verum conſenſum matrimonialem (qui ante Concilium Tridenti-

Digitized by Google

num abſque alia ſolemnitate ſufficiebat ad valorem matrimonii *cap. is qui. de ſponſalibus)* aſt clandeſtine ſine dotalibus inſtrumentis; qualis uxor in foro externo, ubi de matrimoniali conſenſu legitime non conſtabat, concubina præſumebatur *arg. can. aliter. cauſ.* 30. *q.* 5. & dicebatur, ut in annotatione in dictum *canonem qui diſt.* 34. exponitur.

II. Differentia eſt: Pactum factum Patri à filia, dum nuptui tradebatur, quod contenta eſſe cum dote, ac nullum ad bona paterna velit habere regreſſum, non valet de jure Civili, quamvis ſit juratum *L. pactumdotali. cod. de collationibus :* juncta *L. ult. cod. de pactis :* ubi pacta de ſuc cedendo, vel non ſuccedendo velut contra bonos mores inita repelluntur. Secus dicendum de jure Canonico *cap. quamvis de pactis in* 6. eo quod obſervatio talis juramenti non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, neque retundet in alterius detrimentum.

III. Secundum Canones Juramentum in Pupillo doli capace ſervandum eſt, ac proinde valet*: arg. can. parvuli. cauſ.* 22. *q.* 5. Item *cap.* 1. *de delictis puerorum.* Secus videtur eſſe de jure Civili *arg. L. Sacramenta puberum. cod. ſi adverſus venditionem.* Item *L. qui juraſſe ff. de jure jurando.*

IV. De jure Canonico non licet jurare per creaturas *can. Conſiderato.* Item *can. ſi quis per capillum cauſ.* 22. *q.* 1. præterquam per S. Evangelia, Altare, & SS. Reliquias. *arg. can. ſi aliqua cauſa.* Item *can. habemus cauſ.* 22. *q.* 1. At ſpectato jure Civili licitum eſt jurare per creaturas, dummodo non juretur per capillos Dei, vel caput ejus, neque aliis verbis blaſphemis *L. non erit juratum. ff. de jur. jur.* juncta *Authent. ut non luxurientur homines collat.* 6.

V. De jure Civili filiusfamilias ſine Patris authoritate voto non obligatur. *L. ſi quis rem ff. de Pollicitat..* Secus eſt de jure Canonico *arg. can. puella. cauſ.* 20. *q.* 1. Item *can. puellæ. cauſ.* 20. *q.* 2. cum concordantiis.

VI. De jure Civili debent ordinandi aliquid offerre Epiſcopo ordinanti juxta *Authentic. de SS. Epiſcopis c.* 3. *collat.* 9. Secus eſt de jure Canonico, imo id cenſetur Simoniacum. *can. ordinationes. cauſ.* 1. *q.* 1. Item *can. ſicut Epiſcopum. cauſ.* 1. *q.* 2.

VII. De jure Canonico uſuræ ſub graviſſimis pœnis prohibitæ ſunt: & pertinaciter aſſerens, exercere uſuras non eſſe peccatum, veluti Hæreticus punitur. *cap.* 4. *de uſuris.* juncta *Clement. unic. eod.* & alibi. At ſecundum leges uſuræ cenſentur licitæ. *L.* 1. *ff. de uſuris* ibi: *placuit* -- *licitas uſuras peti poſſe*: juncta *L. eos qui c. eod.* cum concordantiis: vel ſaltem ibidem permittuntur.

VIII. Secundum Canones non eſt licitum aliquid facere ad oſtentationem virium *cap. unic. de torneamentis.* Bene tamen ſecundum leges. *L. ſolent.* Item *L. quibus rebus ff. de aleæ luſu.*

IX. De jure Civili licitum eſt Patri occidere adulterum in flagranti crimine cum filia deprehenſum, dummodo & filiam occidat *L. Patri & ſeqq. ff. ad L. Juliam de Adulteriis.* Idemque permittitur Marito reſpectu cæterarum perſonarum, ſi deprehendantur in adulterio cum uxore ſua *L. Marito ff. eod.* Utrumque horum execrantur Sacri Canones. *can. ſi non. licet. cauſ.* 23. *q.* 5. Item *can. inter hæc.* Item *can. admonere cauſ.* 33. *q.* 2.

X. De jure Canonico, quando conjux cauſa captivitatis, & peregrinationis, aut hujuſmodi, diutius abeſt, non licet alteri conjugi novum matrimonium inire, donec certum nuntium acceperit de morte prioris conjugis. *cap. in præſentia* 19. *de ſponſalibus.* Item *cap. Dominus* 2. *de ſecundis nuptiis.* Secus eſt de jure Civili, nam juxta hoc, ſi non conſtet priorem conjugem eſſe ſuperſtitem, ſufficit expectare per quinquennium: quo elapſo, & altero conjuge non comparente, permittitur novum matrimonium *Auth. de nuptiis §. ſed & captivitatis. Collat.* 4. cum concordantiis.

XI. De jure Civili Matrimonium etiam conſummatum diſſolvitur quoad vinculum per ingreſſum Religionis: quia Religionem ingrediens quantum ad matrimonium videtur mori, *Auth. de nuptiis. §. diſtrahuntur. Collat.* 4. Secundum canones diſſolvitur ſolum matrimonium ratum, non conſummatum. *Cap. verum* 2. Item *cap. ex publico.* 7. *de converſione conjugatorum.*

XII. De jure Civili requiritur conſenſus Parentum ad validitatem matrimonii, adeo, quod ſine eo nuptiæ non conſiſtant, *L. Nuptiæ ff. de Ritu nuptiarum.* Item *L. Nec filium. cod. de nuptiis,*

Digitized by Google

tiis. Secus eſt ſpectato jure Canonico, ubi talis conſenſus non requiritur, niſi de honeſtate, *can. ſufficiat. cauſ.* 27. *q.* 2. Item *can. hoc ſanctum. cauſ.* 32. *q.* 2. Juncto Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reformat. matrim.* ubi oppoſitum aſſerentes, anathemate damnantur.

XIII. De jure Civili poſſunt conſobrini, ſeu duorum fratrum, vel ſororum liberi, licite matrimonium contrahere, *L. celebrandis. cod. de Nuptiis.* Item *§. duorum fratrum Inſtit. eod.* Non ſic de jure canonico, *cap. non debet, de conſanguinit. & affinitat.* ac alibi.

XIV. De jure Civili cum ancillis, hoc eſt, mancipiis, non poteſt eſſe connubium, ſive matrimonium, ſed tantum contubernium, *L. cum Ancillis. cod. de inceſt:* ac proinde ſervi ob violatum contubernium adulterii crimine non poſſunt accuſari. *L. ſervi cod. ad L. Jul. de Adulteriis.* Secus eſt de jure Canonico *cap.* 1. *&* 2. *de conjugio ſervorum.*

XV. De jure Civili vox unius teſtis non admittitur in quacunque cauſa, quantumvis teſtis ille ſit magnæ authoritatis. *L. Jurisjurandi cod. de teſtibus.* De jure Canonico ad dictum ſolius matris de impedimento deponentis impeditur matrimonium contrahendum, *cap. ſuper eo.* 22. *de teſtibus.* Idque ad devitandum omne periculum peccati, ſi forſan ſubeſſet impedimendum dirimens. Sunt & aliæ adhuc differentiæ, quæ brevitatis cauſa omittuntur.

Quantum ad res Eccleſiaſticas, & Spirituales præter jam enumeratas, novem adhuc inter utrumque jus dantur differentiæ. Et quidem

I. eſt: De jure Canonico gradus conſanguinitatis ita computantur, ut duo fratres ſint in primo gradu, & filii duorum fratrum in ſecundo gradu conjuncti: *Can. ad ſedem.* Item *can. ult. cauſ.* 35. *q.* 5. De jure civili autem duo fratres in ſecundo gradu, & filii eorum in quarto conſanguinitatis gradu exiſtunt: *§. ſecundo gradu: & ſeqq. Inſtit. de gradibus cognat.* Item *cit. can. ad ſedem.* 35. *q.* 5.

II. De jure Canonico Patronus Laicus præſentans indignum ad beneficium Eccleſiaſticum non privatur ea vice jure præſentandi, ſed jubendus eſt præſentare alium: *arg. cap. cum vos* juncta

Gloſſa

Gloſſa ℣. *minus idoneæ, de offic. ordin.* Secus eſt de Jure Civili: nam juxta hoc devolvitur tunc jus præſentandi ad ſuperiorem v.g ad Epiſcopum: *authent. de Sanctiſſimis Epiſcopis* §. *ſi quis Oratorii collat.* 9.

III. De jure Civili Clericis cenſetur eſſe prohibitū, jurare *L. cum Clericis. Cod. de Epiſc. & Cleric.* De jure canonico econtra Clerici, imò Religioſi ex cauſa juſta jurare poſſunt: *cap. cæterum.* 5. *de juram. calumn.* Item *cap. Etſi Chriſtus* 26. *de jur. jur.*

IV. Secundum Canones, ille locus dicitur Religioſus, qui ad cultum Religionis authoritate Epiſcopi deſtinatus fuit. *cap. ad hæc* 4. *de Selig. domibus.* Item *can. Nemo Eccleſiam. de conſecrat. diſt.* 1. Econtra ſecundum leges locus dicitur Religioſus, in quo homo mortuus ſepultus eſt. *L. locum. Et L. cum in diverſis ff. de Religioſis, & ſumpt. funer.*

V. De Jure Canonico fugiens ad Eccleſiam gaudet immunitate Eccleſiaſtica, niſi fuerit publicus latro, vel nocturnus depopulator agrorum. *Cap. inter alia* 6. *de immunit. Eccleſ.* Aut niſi commiſerit aliud crimen in Bulla Gregorii Papæ XIV. quæ incipit: *cum alias.* exceptum. De jure Civili ulterius dicta immunitate non gaudent homicidæ, adulteri, & raptores virginum. *Authent. de mandatis Principum* §. *ſed neque collat.* 3.

VI. De jure Civili Imperator poteſt Eccleſiis, ac Perſonis Eccleſiaſticis imponere collectas: *L. Nemini. cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* Secus eſt de jure Canonico: *cap. non minus.* Item *cap. Adverſus de immunit. Eccleſ.* Item *Clement. unic. eod.*

VII. De jure Civili in alienatione rerum Eccleſiaſticarum immobilium certæ ſolemnitates ſunt obſervandæ, quæ præſcribuntur *in Authent. hoc jus porrectum. cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* De jure Canonico autem illæ non requiruntur, ſed ſufficit, ac neceſſe eſt eas obſervare, quæ habentur *toto titulo de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac* præſertim *in extrav. Ambitioſæ eod.*

VIII. De jure Civili mortuorum corpora intra civitatem ſepeliri eſt prohibitum. *L. Mortuorum. cod. de Religioſis, & ſumpt. funer.* De jure Canonico ſepeliuntur in Eccleſiis, & cœmeteriis. *Can. cum gravia.* Item *can. Nullus cauſ.* 13. *q.* 2. & alibi.

IX. Secundum Canones manifeſtus uſurarius non poteſt te-

ſtamentum facere, & factum non valet, niſi de uſuris ſatisfecerit, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum facultatum viribus idoneam cautionem præſtiterit. *cap. quamquam §. fin. de uſuris in* 6. De jure civili hoc non reperitur ſtatutum.

Quantum ad proceſſum judiciarium decem ſequentia inter utrumque jus habentur diſcrimina.

I. De jure Civili ex pacto nudo non naſcitur actio. *L. juris gentium. §. quin imo ff. de pactis.* Secus eſt de jure Canonico *cap.* 1. *&* 3. *de pactis.* ubi dicitur, nudum pactum ſervandum eſſe adeo quod promittens ad ejus obſervationem conſtringi poſſit. Cum apud Deum non ſit differentia juramenti, & ſimplicis loquelæ *c.* 22. *q.* 5.

II. De jure Canonico in omni reſcripto Papæ ſubintelligitur illa clauſula: *ſi preces veritate nitantur* licet expreſſe non apponatur. *cap. ex parte* 2. *de Reſcriptis.* At vero de jure Civili clauſula illa neceſſario eſt expreſſe apponenda, alioquin ea omiſſa valet Reſcriptum.. *L. Univerſa* 7. *cod. de diverſis Reſcriptis.*

III. De jure Canonico non eſt neceſſe in libello exprimere nomen actionis. *cap. Dilecti* 6. *de judiciis.* ſecus eſt loquendo de rigore juris Civilis, quo nemo in judicio ſine actione expetitur. *arg. L.* 1. *§.* 1. *ff. de Edendo.* Item *L.* 6. *fin. ff. de negot. geſt.*

IV. Secundum Canones judex ordinarius poteſt recuſari ut ſuſpectus ex cauſa juſta, & rite probata coram Arbitris. *cap. cum ſpeciali* 61. *de Appellat.* Secundum leges autem judex ordinarius ex toto recuſari nequit, ſed ipſi ratione ſuſpicionis aſſociatur Epiſcopus, ut ambo ſimul in cauſa procedant. *Authent. ſi vero contigerit. cod. de judiciis.* Quidquid ſit, an hoc, quod de aſſociatione Epiſcopi dicitur, de conſuetudine ſit receptum, nec ne?

V. De jure Canonico non licet judici ſæculari etiam in evidenter cognoſcere de cauſa ſpirituali. *cap. tuam* 3. *de ordine cognition.* Item *cap. cauſam* 4. Item *cap. lator.* 5. *qui filii ſint legitimi.* Secus foret ſecundum leges dicendum. *arg. L. cui jurisdictio ff. de juriſdict. omnium judicum.* Item *L. quoties. cod. de judiciis.*

VI. De jure Civili ſenes, & valetudinarii teſtimonium ferre inviti non compelluntur *L. inviti ff. de teſtibus.* Secundum Canones

nes autem ad detegendum peccatum proximi compelluntur tales ferre teſtimonium. *cap. ſi qui teſtium.* 8. *de teſtibus*, juncta Gloſſa ℣. *Valetudinarii.* Item *can. quiſquis. cauſ.* 11. *q.* 3. Item *cap.* 1. *de crimine falſi.*

VII. De jure Canonico poteſt à quocunque judice appellari ad Papam, etiam omiſſis intermediis, *can. ad Romanam. cauſ.* 2. *q.* 6. Item *cap. ſi duabus* 7. *de Appellat.* & *alibi.* Secus eſt de jure Civili, ubi non recte appellatur ab inferioribus ad Imperatorem omiſſis mediis. *L. Imperatores* 21. *ff. ae Appellat.*

VII. Secundum Canones à ſententia Epiſcopi debet appellari vel ad Metropolitanum *arg. cap. Duo ſunt* 9. *de officio Ordin.* vel ad ſummum Pontificem *can. ad Romam. cauſ.* 2. *q.* 6. Secundum leges poſſet appellari ad judicem ſæcularem loci. *Authentica ſi quis litigantium. cod. de Epiſcopali audientia.*

IX. De jure Canonico, judex, à quo appellatum eſt in una cauſa, poteſt pendente appellatione per appellantem ut ſuſpectus recuſari in alia cauſa. *Cap. ad hæc, ſi in qua* 6. Item *cap. propoſuit* 24. *de Appellat.* Non ſic de jure Civili. *L. unic. ff. apud eum à quo appellatur.*

X. Secundum leges, quando cauſa excedit ſummam centum aureorum, judex delegatus ſportularum nomine accipit duos aureos à qualibet parte in exordio litis, & alios duos in fine ipſius *Authent. de judicibus* §. *Nec autem. collat.* 6. Secus de jure canonico, ubi præter moderatas expenſas, ac ſponte oblata modica eſculenta, vel poculenta, ſportularum nomine nihil recipere poteſt. *cap. cum ab omni* 10. *de vita & honeſt. Cler.* Item *cap. ſtatutum* §. *inſuper* 11. *de Reſcriptis in* 6.

Quantum ad alias res, ſeu materias profanas extra proceſſum judiciarium inter utrumque jus ſeptem habentur differentiæ.

I. eſt: Secundum Canones per *Novale* intelligitur illa terra, quæ de novo reducta eſt ad culturam, de cujus cultura in præteritum facta non extat memoria hominum. *Cap. quid per Novale* 21. *de V.S.* Secundum leges autem *Novale* eſt terra præciſa, quæ anno ceſſavit arari, ut poſtea uberiores fructus producat. *L. ſylva cadua. ff. de V.S.* Et hinc ſi in privilegio, vel ultima vo-

Digitized by Google

luntate fiat diſpoſitio aliqua de Novali, terminus iſte erit interpretandus juxta ſtylum cujuslibet fori.

II. Secundum Canones *Provincia* dicitur, quæ habet unum Epiſcopum, vel decem, vel undecim ſuffraganeos Epiſcopos. *Can. Scitote. cauſ.* 6. *q.* 3. Secundum leges *Provinciæ* appellantur, quæ reguntur per proprios præſides. *arg. L.* 1. *& ſeqq. ff. de officio Præſidis*.. Et cum hodie ſingulæ civitates habeant ſua regimina, quælibet civitas poteſt dici Provincia: & ſic qui ſunt in eadem civitate, cenſentur eſſe in una Provincia, alias extra. *arg. L. ult. cod.* Juncta gloſſa ℣. *id eſt in una Provincia de præſcript. longi temporis.*

III. Secundum jus Civile ætas virilis interpretatur eſſe viginti quinque annorum, *L.* 1. *ff. de Minoribus.* Item *L. ult. cod. de his, qui veniam ætatis.* Secus dicendum eſt de jure Canonico, utpote ad ætatem virilem requirente triginta annos. *Can. Epiſcopus. diſt.* 77. ibi: *Ante triginta annos, id eſt, antequam ad viri perfecti ætatem perveniat.*

IV. De Jure Civili requiruntur ad ſubſtantiam teſtamenti non privilegiati ſeptem teſtes. *L. Hac conſultiſſima.* Item *L. Si unus. cod. de teſtamentis* cum concordantiis. Secus de jure canonico. *Cap. cum eſſet* 10. Item *cap. Relatum* 11. *de teſtament.* Item ſecundum Canones, legatum rei alienæ non valet. *arg. cap. filius* 5. *de teſtament.* Secus eſt juxta leges, dum quis ſcienter legavit rem alienam *L. cum alienam rem. Eod. de legatis.* Et alibi.

V. De jure Civili non valet inſtitutio hæredis nutu facta: nam nomen hæredis aut ſcriptura, aut voce per teſtatorem coram teſtibus exprimendum eſt, *L. Jubemus. cod. de teſtament.* Secus dicendum de æquitate canonica juxta Gloſſam *in cap. cum tibi* 13. ℣. *diſpoſitionem de teſtament.*

VI. De jure Canonico poteſt quis voluntatem ſuam teſtandi committere in alterius diſpoſitionem, *cap. cum tibi* 13. *de teſtament.* Secus dicendum de jure Civili, *L. Illa Inſtitutio.* Item *L. captatorias. ff. de hæredibus inſtituendis.*

VII. De jure Civili filiis ſpuriis, ſive ex damnato complexu procreatis poſſunt parentes etiam alimenta negare, *Authent. ex complexu* 6. *de Inceſtis.* Item *Authent. licet Patri* §. *fin. cod. de*

Nat

Natural. liberis: juncto *cap. per venerabilem* §. *fin. qui filii ſint legitimi.* Secus dicendum de jure canonico. *cap. cum haberet* §. *fin. de eo, qui duxit in matrimonium.*

Quantum ad pænas, differunt ambo jura ab invicem plus, quam in aliis: novem ſolummodo hic adducuntur differentiæ.

I. eſt: De jure Civili vidua non poteſt nubere intra annum luctus abſque pœna infamiæ. *L.* 2. *& ſeqq. cod. de ſecundis Nuptiis.* At de jure Canonico poteſt libere nubere, cui voluerit, ſine pœna infamiæ, *cap. penult. & ult. de ſecundis nuptiis:* juxta permiſſionem Apoſtoli 2. *Corinth.* 7.

II. De jure Canonico bona hæreticorum confiſcantur ipſo jure *cap. cum ſecundum de hæreticis in* 6. Secundum leges iſta pœna non incurritur.

III. Secundum Canones Actor petens plus re, loco, vel cauſa, condemnatur ſimpliciter in expenſas, ſive ad reſarciendum damnum, ac intereſſe, quod ex ſua plus petitione reo evenit. *cap. unic. de plus petitionibus.* At ſecundum leges condemnatur ulterius in triplo ejus, quod ob majorem quantitatem libello conventionis inſertam, executoribus litium ſportularum nomine præſtandum fuit. §. *Triplici vero. inſtit. de actionibus.*

IV. De jure Civili carcer eſt inductus ad cuſtodiam, non ad pænam. *L. aut damnum* §. *ſolent. ff. de pœnis.* Ubi idcirco redarguuntur Præſides, qui quoſdam ſolebant ad perpetuos carceres damnare. Secus eſt de jure Canonico. *cap. quamquam* 3. *de pœnis in* 6. ubi delinquentes permittuntur puniri carceribus vel in perpetuum, vel ad tempus.

V. De jure Civili, ſi unus percuſſit primo, & vulneravit, alter vero vulneratum omnino occidat, primus non tenetur, niſi de percuſſione, & vulnere. *arg. L. huic ſcripturæ. ff. ad legem Aquiliam.* Secus de jure Canonico. *arg. can. ſi quatuor.* juncta Gloſſa ℣. *Quinque cauſ.* 23. *q.* 8. Item *cap. ſignificaſti* cum Gloſſa ℣. *Quod ſic: de homicidio.*

VI. Secundum Canones fugiens e bello infamis eſt. *Can. infames. cauſ.* 6. *q.* 1. Secundum leges punitur capite. *L. Omne.* §. *Qui in acie. ff. de re militari.*

Digitized by Google

VII. Fabricator libelli famoſi, aut hunc aliis manifeſtans juxta jus Civile punitur pæna capitis. *L. unic. cod. de libellis famoſis.* Secus eſt de jure Canonico, ubi talis punitur pœna excommunicationis, aut flagellationis. *Can. Qui in alterius.* Item *can. Si quis inventi. cauſ. 5. q. 1.*

VIII. De Jure Civili (conſideratis tamen ſimul ſeptem illis modis, videlicet cauſa, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate, & eventu, de quibus habetur *L. aut facta. ff. de pœnis*) Sacrilegi capite plectuntur *L. Sacrilegi. ff. ad legem Juliam Peculatus.* Incendiarii ignibus necantur. *L. qui ædes ff. de incendio.* Peccans cum fæmina contra naturam capite plectitur *L. cum vir. cod. ad legem Juliam de Adulteriis.* Et pleraque alia crimina graviora de rigore juris Civilis pœna mortis puniuntur. Secus eſt de jure Canonico, ubi talium criminum rei, ſi, Clerici fuerint, excommunicantur, vel à ſuis officiis, & beneficiis ſuſpenduntur, incarcerantur, deponuntur, aut omnino degradantur, & traduntur curiæ ſæculari, vel mittuntur in exilium, aut etiam ad triremes. Laicis vero criminoſis tum pœna excommunicationis, aut interdicti, tum publica pænitentia imponitur: prout liquet tum ex canonibus SS. Apoſtolorum, illiſque, qui Canones pænitentiales dicuntur: tum ex decurſu totius juris Canonici.

IX. Tandem pœna ſanguinis per leges frequenter injungi conſuevit: at vero generaliter loquendo, per ſacros Canones nunquam imponitur pæna ſanguinis, hoc eſt mortis corporalis, vel mutilationis. Siquidem Eccleſia criminoſos non materiali gladio, ſed ſpirituali feriri jubet. Et hinc, ſi per Canones ſermo fiat de morte, prout fit *cap. 1. de homicidio.* id non de morte corporali, ſed de morte Civili, atque Eccleſiaſtica, hoc eſt, de excommunicatione majori accipiendum erit. *arg. cap. per Venerabilem §. ſunt autem.*

Et hæ ſunt ſpecialiores differentiæ juris Canonici, & Civilis adeo ſcitu neceſſariæ, ut ſine earum cognitione perfecta nemo juriſprudentiæ Candidatus evadat, oleumque perdat, & operam, ſi his incognitis perfectam juris cognitionem habere præſumat. Ita Perezius *in ſuis inſtitut. Imperial.*

PARA-

PARAGRAPHUS DECIMUS.

DE
Concordatione Juris Civilis cum Canonico, & regulis circa contrarietatem utriuſque Juris obſervandis.

CUm inter jus Civile, & Canonicum (ut ex præcedentibus conſtat) quandoque confœderatio, & quædam affinitas, ac convenientia: quandoque vero contrarietas inveniatur, ut Canoniſta rite procedere valeat, ſequentes regulas communiter à Doctoribus traditas obſervet, eſt neceſſe.

Prima regula eſt: Quando leges non contradicunt canonibus, tunc mixtim & leges, & Canones allegantur in utroque foro. Idque patet ex recepta praxi tribunalium, atque Juris Conſultorum paſſim in utroque foro tales probationes admittentium, vel adducentium. Idem deſumitur ex *can. ſi in adjutorium diſt.* 10. Unde Canoniſta merito allegat leges etiam ubi concurrunt Canones: nam fortior videtur ille caſus, illaque deciſio, ubi duplex concurrit diſpoſitio Juris.

Secunda regula eſt: Quotieſcunque caſus aliquis dubius eſt in jure Civili, jure autem canonico clare deciſus, etiam in foro civili deciſio juris Canonici eſt obſervanda. Econtra, ſi aliquod jus dubium, & obſcurum eſt in jure Canonico, vel indeciſum (prout præſertim circa contractus, feuda, & pacta non paucæ in Canonibus ſunt deciſiones) jure vero Civili illud clare deciſum reperiatur, ſimulque materia illa ſit profana, non ſpiritualis: tunc in foro etiam Eccleſiaſtico ejusmodi deciſio juris civilis eſt ſervanda. Et hoc clare habetur *cap.* 1. *&* 2. *de novi operis nuntiat.* ubi Pontifex vulgatum illud pronuntiat: *ſicut leges non dedignantur ſacros canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adjuvantur:* ubi gloſſa ℣. adjuvantur, notabiliter infert; *Et ita in cauſa Eccleſiaſtica leges poſſumus allegare*

ut

ut etiamſi canones deficiant, poſſit judicare ſecundum leges Imo quandoque etiam in materia ſpirituali leges civiles in foro Canonico procedunt, non tamen aliter, quam ſi expreſſe à ſacris Canonibus recipiuntur, atque à Pontifice canonizantur: quamquam hujusmodi leges pro tunc non tam leges Civiles, quam mutato nomine Canones rectius appellentur.

Tertia regula eſt: Si inter jus Canonicum, & Civile ſit contrarietas, vel diverſitas manifeſta, eaque ſit de re profana, nec attingat conſcientiam, vel peccatum, ut circa ſolemnitates teſtamentorum, judiciorum, contractuum &c. tunc quodlibet jus in ſuo foro ſervandum eſt: nimirum in terris Summo Pontifici ſubjectis jus Canonicum: in terris vero Imperii ſæcularis jus Civile. *Can. cum ad verum. diſt.* 96. In cauſis tamen Clericorum etiam temporalibus, & extra territorium Romani Pontificis juri Canonico eſt inſiſtendum. *Cap. cum Clericis* 9. *de foro compet.* Sed hic textus non procedit eo caſu, quo Clericus Actor convenit laicum coram judice ſæculari: quo caſu, ſicut Clericus actor forum rei laici, ita etiam ejuſdem fori leges ſequi debet; ut proinde illa verba *in cap.* 9. *cit.* poſita, *ſi Clerici contra aliquos, vel aliqui contra ipſos cauſas habuerint* &c. intelligantur eo ſenſu, ſi Clerici Pariſienſes (de quibus illud Capitulum inſcriptum eſt) contra aliquos alios Clericos, coram judice tamen Eccleſiaſtico actionem inſtituant.

Quarta regula eſt: Ubi de re Conſcientiæ, & materia peccati agitur, ſi inter jus Canonicum & Civile differentia ſit, tenendum eſt jus Canonicum etiam in terris imperii: id eſt, ſi jus Civile foveat peccatum, uti ſunt leges permittentes malum, tunc apud Chriſtianos ob ſalutem animæ relicto jure Civili ad jus Canonicum, ſi fieri poſſit ſine turbatione Reipublicæ, recurrendum eſt: univerſi enim Catholici Doctores fatentur, ſaltem in ſpiritualibus, & ubi de ſalute animæ agitur, ſummi Pontificis juriſdictionem tanquam Chriſti Vicarii, & communis animarum Paſtoris, etiam in terras imperii, & totum mundum extendi: ut patet ex *cap. ſolitæ de M. & O.* Item *cap. Novit. de judiciis.*

Quinta regula eſt: Quando materia eſt pure ſpiritualis, & Sacramentalis, ſervandum & ſequendum eſt jus Canonicum relicto

jure

jure Civili omnimode, & univerſim: cum ſpiritualia, & ſacramentalia tractare, & definire non ad ſæcularem, ſed ſpiritualem, & Eccleſiaſticam poteſtatem pertineat? *cap. decernimus 2. de judiciis* quia materia ſacramentorum eſt ſpiritualis, ergo extra juriſdictionem Legislatoris laici. Quare licet jure Civili invalidum ſit matrimonium, quod à liberis utriusque ſexus contrahitur ſine conſenſu Parentum, in quorum patria poteſtate exiſtunt: *Inſtit. de Nuptiis in princ.* Item *L. 2. & 18. de ritu nuptiarum.* Jure tamen Canonico, & noviſſime jure Concil, Trid. *ſeſſ. 24. de reformat. matrim. c. 1.* ſi non ſimpliciter licitum, ſaltem validum pronuntiatur tale matrimonium. Similiter licet de eodem jure Civili uxori de mariti abſentis vita dubitanti, poſt quinquennium, *L. uxore 6. ff. de divortiis:* imo de jure Codicis poſt quadriennium, *L. uxor 7. Cod. de repudiis.* Novæ nuptiæ ſint conceſſæ: pro quo certam obſervandam formam præſcribit *Authent. hodie quantiſcunque Cod. de repudiis* Nihilominus tamen Jus Canonicum requirit ad novas nuptias contrahendas nuntium, aut probationem certam de morte mariti. *Cap. in præſentia 19.* Item *cap. Dominus 2. de ſecundis nuptiis.* Qua habita nullo modo neceſſarium eſt inſuper etiam formam ab Imperatore in cit. authent. præſcriptam obſervare.

Sexta regula eſt: Si leges Civiles diſponant de rebus, & perſonis Eccleſiaſticis: & hæ leges Civiles ſint *mere favorabiles*, nullam habentes annexam obligationem, nullum continentes odium, nullum mandatum contingens perſonas Eccleſiaſticas, nec illis præſcribentes certam formam ſervandam in ſuis negotiis: verbo ſi contineant meriſſimum privilegium, & gratiam ſtatui Eccleſiaſtico conceſſam, tunc abſque dubio hæ leges Civiles valent, & ſubſiſtunt. Talia privilegia ſunt v g. quod contra Eccleſiam Romanam nonniſi centum annis, contra alias Eccleſias nonniſi 40. annis poſſit præſcribi. *Authent. quas actiones. Cod. de SS. Eccleſiis.* Si vero hæ leges Civiles reſpiciant quidem favorem Eccleſiarum, nihilominus tamen contineant ſimul aliquam obligationem, ſive mandatum datum perſonis Eccleſiaſticis, aut præſcribant formam in negotiis Eccleſiaſticis, aut denique aliquam juriſdictionis ſpeciem involvant; tunc hæ leges Civi-

les non valent, nec aliter vim obligandi habent, niſi ultro ab Eccleſia fuerint approbatæ, & receptæ: ne prætextu favorabilis conſtitutionis poteſtates ſæculares juriſdictionem in Eccleſiaſticos uſurpent, ut clare deciſum eſt in cap. Eccleſia 10. X. de conſtitut. Et tales leges favorabiles quidem, continentes tamen aliquam obligationem, ſive mandatum, ſive juriſdictionis ſpeciem ſunt v. g. *L.* 14. *cod. de SS. Eccleſiis* in qua inhibetur perſonis Eccleſiaſticis alienatio rerum Eccleſiæ ſub pœna privationis officii. Item *L.* 47. *de Epiſcopis & Cler.* in qua præſcribitur forma obſervanda in electione Abbatum, &c. ſed hæ leges non aliter vim habent, niſi quatenus à Sacris Canonibus ſunt receptæ. Tandem ſi leges Civiles contineant odium Eccleſiarum, aut Perſonarum Eccleſiaſticarum: aut ſint mere diſpoſitivæ de iiſdem: Certiſſimum eſt apud Doctores, illas leges nullius eſſe roboris. *Can. denique cum ſeqq. diſt* 96. Item *cap. Eccleſia* 10. *de Conſtitut.* Item noviſſime in *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 20. ubi cavetur, ne à perſonis ſæcularibus Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtituta violetur.

DE
ANTINOMIA, SEU CONTRARIETATE CANONUM.

QUod in partibus juris Canonici Canonum, ſeu Conſtitutionum inter ſe antinomia, ſeu contrarietas, ac repugnantia ſæpius reperiatur, extra dubium eſt, ut perluſtranti facile conſtabit: ut ergo hæc Canonum antinomia tollatur ſequentia ſunt advertenda.

Primo: Si contrarietas reperiatur in unius, & ejuſdem Pontificis, ſeu Authoris compilatione v. g. ſi uterque contradicens Canon ſit in *Decretalibus*, vel in *Sexto*, aut *Clementinis*: tunc omni modo allaborandum eſt, ut apparens contrarietas per congruam interpretationem conciliationem accipiat, quod à potiori non admodum difficile erit, modo exacte conſideretur gloſſa, & di-

diverſitas Caſus, circa quem uterque Canon diſponit: in una enim eademque legum compilatione non debet eſſe contrarietas: quia enim ab uno eodemque legislatore ſimul, & ſemel omnes Canones in eadem compilatione contenti, publicationem, & robur acceperunt, habentur, ac ſi ab uno ore profluxiſſent, quod ſibi ipſi non contradicit *arg. text. L. 2. §. Contrarium autem cod. de vet. jur. enucl.* Et notat. *Gloſſa in proem. Decretalium, verb. contrarietatem.*

Secundo: Si tamen etiam in eadem compilatione reperiatur aliqua contrarietas, & poſterior Canon meminerit Canonis prioris, ejuſque terminos correctorios expreſſe contineat, concedenda omnino erit antinomia. Exemplum eſto in *cap. 2. & 3. de Cenſibus in* 6. ubi in priori *cap.* 2. Gregorius X. ſub pœna prohibet, ne à viſitantibus procuratio in pecunia accipiatur: in poſteriori vero *cap.* 3. Bonifacius VIII. meminit hujus prohibitionis, & eam *ob multa incommodorum*, ut ait, *diſpendia* abrogat. Unde

Tertio: Si inter Canones priorum, & poſteriorum compilationum manifeſta ſit contrarietas, v. g. inter Canones Gregorii IX. & decretales Bonifacii VIII. in 6. aut inter Clementinas &c. tunc Canon poſterior derogabit priori, ſtabiturque poſteriori deciſioni: quia jus poſterius derogat priori. *Cap. fin. de ſent. excomm. in* 6.

Quarto: Si dubia ſit Canonum contrarietas, tentanda eſt reconciliatio per commodam aliquam interpretationem, quantum videlicet fieri poteſt, ſalva verborum proprietate, ac ratione recti ſermonis: quoniam expedit jura juribus concordare, ut evitetur jurium correctio, & contrarietas. *Cap. cum expediat* 29. *de Elect. in* 6. Hic

Notandum: Triplicem eſſe interpretationem pro SS. Canonum elucidatione adhibendam: nempe *Doctrinalem*, *uſualem*, & *authenticam. Doctrinalis*, ſeu *Magiſterialis*, quæ vel à Profeſſoribus & Magiſtris Scholarum, vel Scriptoribus illuſtribus adhibetur ad elucidanda verba obſcura alicujus Canonis, Reſcripti, vel privilegii, de qua procedit *L. unic. c. de Profeſſoribus in urbe Conſtant. Uſualis* eſt: quæ innititur conſuetudini. *Authentica*

 eſt,

Digitized by Google

eſt, ſeu *judicialis*, quæ à ſolo legiſlatore circa canonem adhibetur tanquam expreſiva, atque declarativa ſenſus, & mentis ſuæ in particulari, & non prævifo caſu, juxta *L. ult. c. de legibus* Quando ergo aliquis Canon, vel conſtitutio Apoſtolica, aut privilegium laborat ambiguitate, aut dubio arduo, tunc interpretatio authentica adhibenda eſt, & à Sede Apoſtolica ut legiſlatrice petenda: quia juxta *C. inter alia de ſent. excomm.* Item *L. fin. C. de LL.* illius eſt interpretari legem, cujus eſt condere. Quod ſi autem ad Sedem Apoſtolicam non poſſit fieri acceſſus pro capienda interpretatione authentica, & aliunde urgeret neceſſitas utendi canone, conſtitutione, aut privilegio, tunc operans uti poterit interpretatione doctrinali.

PARAGRAPHUS UNDECIMUS.
DE
GNOMIS, SIVE REGULIS JURIS CANONICI.

OBſervandum 1. Gnomæ, ſeu regulæ jurisprudentiæ, quas Quintilianus *memorabiles quaſdam ſententias* appellat, in corpore juris tum Canonici, tum Civilis ad finem adjectæ conſpiciuntur. In præſenti ſolum Regulæ juris Canonici explanantur, quæ nempe in Decretalibus Gregorii IX. & Sexto Decretalium ſpecialibus continentur titulis: explicatione illarum, quæ in corpore juris Civilis, puta titulo Digeſti ultimo habentur, Civiliſtis relicta.

Obſervandum 2. Regulam juxta Paulum J.C. *L. 1. ff. de regulis juris.* eſſe illam, *quæ rem, quæ eſt, breviter enarrat, non ut ex regula fiat jus, ſed ex jure quod eſt, regula ſumatur.* Unde per regulam juris intelliguntur breves ſententiæ, axiomata, ſeu propoſitiones generales, deductæ ex legibus, & ſacris Canonibus, quæ velut quædam principia generalia deſerviunt ad Cauſas rite decidendas. Ex eo ſiquidem, quod per leges, & Canones in diverſis locis varii caſus particulares ſibi invicem conſimiles deci-

dan-

dantur, regula conficitur, & generalis quædam ſententia pro communiter contingentibus breviter efformatur. Sic in exemplo: SS. Canones multis in textibus prohibent, ne quis illicito ingreſſu v. g. Simoniaca procuratione, violento modo, propria authoritate, ambitione, vel alia via beneficium aliquod occupare præſumat: inde nata eſt regula *in cap. beneficium* 1. *de R.J. in* 6. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine canonica inſtitutione obtineri.* Item tam in SS. Canonibus, quam legibus Civilibus licet alteri per alterum contrahere, judicium ſubire, juramentum præſtare, jus dicere, eligere, &c. inde ſequens regula prodit *cap. poteſt* 68. *de R.J. in* 6. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum.*

Obſervandum 3. Has regulas eſſe duplices: aliæ dicuntur *authenticæ*, quæ authoritate Apoſtolica juri Canonico ſunt inſertæ, & vim legis habent. Tales ſunt præſertim, quæ in 6. Decretalium ad finem ponuntur. Aliæ dicuntur *didaſcalicæ*, *doctrinales*, & vulgo *Brocardicæ* (rectius *Burchardicæ* à Burchardo Canonum compilatore) Item Burchardica (ſubintellige effata) dicuntur, quæ à juris conſultis, vel aliis Doctoribus ex variis juris textibus, ac diſpoſitionibus, vel etiam Philoſophorum dictis depromptæ ſunt, nec continentur ſpecialiter in corpore juris, nec ſunt authentizatæ in vim legum à legislatore, ſed ſunt axiomata, & propoſitiones ICtorum: uti ſunt: *legibus*, *non exemplis judicandum eſt. Actiones ſunt ſingularium. Privatio ſupponit habitum. Non entis nullæ ſunt qualitates. Qui vult antecedens, vult etiam conſequens &c.* Pluraque alia, quæ adducuntur etiam in deciſionibus Rotæ Romanæ, in ſpecie deciſione 582. n. 9. Et deciſione 1028. n. 2. Et deciſione 1137. n. 2.

Obſervandum 4. Has regulas pleraſque pati exceptiones: adeoque etiam in jure valere illud notum apud Gramaticos: *Nulla regula ſine exceptione.* Nomine vero exceptionis intelligitur omnis alia diſpoſitio juris, quam communiter per regulam enuntiatur. Vim exceptionis à regula tria uſu trita declarant axiomata. Primum eſt: *Exceptio declarat regulam*: hoc ipſo enim, quod exceptio de regula ſit, ex qualitate exceptionis apparet, de quo genere regula ſit intelligenda. Secundum eſt. *Exceptio firmat re-*

gulam in contrarium in caſibus non exceptis, ita ut ſub regula comprenſi cenſeantur, quos exceptio inde non ſubtrahit: ex cujus Axiomatis tamen generalitate merito excipiuntur caſus omnino exceptis ſimiles, & quicunque alii, de quibus aliqua ratione veriſimile eſt, diſponentem de ipſis idem ſenſiſſe, quod de aliis expreſſe exceptis. Tertium eſt: *Exceptio non ampliat regulam*, hoc eſt, non facit, ut ejus diſpoſitio comprehendat aliqua, quæ exceptione non facta regula non comprehendiſſet: quia exceptio ex natura ſua regulæ detrahit, non addit: ab ea aliquid eximit, non includit aliquid, quod illa exceptione ceſſante non incluſiſſet.

Obſervandum 5. Regulas juris Canonici eſſe adhuc duplices: aliæ ſunt, quæ in Decretalibus Gregorii IX. enumerantur: & ſunt undecim poſitæ ad finem libri V. Decretalium. Aliæ vero ſunt: quæ in ſexto Decretalium enumerantur, & ſunt octuaginta octo poſitæ poſt librum ſextum Decretalium. Utrarumque explicatio in præſenti ſuſcipitur.

Explicantur Regulæ Decretalium Gregorii IX.

1. *Omnis res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* Hæc regula attribuitur Auctori operis imperfecti, quem multi eſſe volunt S. Chryſoſtomum, deſumptaque videtur eſſe ex regula 35. juris Civilis, quæ ſic habet: *Nihil tam naturale eſt, quam eodem genere quodque diſſolvere, quo colligatum eſt: ideoque verborum obligatio verbis tollitur: nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſolvitur.* Valet iſta regula vel maxime in contractibus, & obligationibus mere temporalibus, quæ tantum ex poſitiva humani juris conſtitutione, aut mutuo partium conſenſu, & voluntate contrahentium vim ſuam habent. Fallit autem in iis, quæ jam non ſunt in poteſtate voluntatis humanæ, ſed ab altiori dependent. Sic fallit 1. in matrimonio præſertim conſummato, quod eſt divina voluntate indiſſolubile. 2. in Sacramentis præſertim characterem imprimentibus. In hoſtia conſecrata, cujus conſecratio revocari, & retractari nequit. 3. In vinculo ſpirituali Epiſcoporum, quod, etſi per Metropolitanum conſtitui

cui poſſit, diſſolvi tamen non poteſt *ex cap.* 1. *de Translat. Epiſ.* Item in electo rite Pontifice, cujus juriſdictio auferri non poteſt, neque deponi valet ab electoribus, exceptis caſibus hæreſis, amentiæ, &c.

II. *Dubia in meliorem partem interpretari debent.* Hæc tantum eſt regulæ rubrica: nam regula alioquin ita habet: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt, nolite judicare, & non judicabimini.* In hac regula præcipi videtur, ut ea facta, circa quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretentur. Quod enim ſcriptum eſt: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri: ut ſtuprum, blasphemia, furta, ebrietates, &c. de quibus nobis permittitur judicare. Conſentit regula *Juris* 9. *in ff.* Item *reg.* 30. *in* 6. *Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur.* Procedit itaque hæc regula in actibus, ubi perſonæ habilitas, vel inhabilitas, bonitas vel malitia, ac ipſius actus valor vel nullitas non ſatis apparet: Perſonæ proinde habilitas, bonitas, & actus valor tamdiu præſumitur, quoad contrarium probetur. Hæc regula fallit 1. in actibus manifeſte malis. 2. in caſibus, in quibus agitur de malo avertendo, vel bono conſervando, ubi abundans cautela non obeſt.

III. *Utilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur.* Hæc regula non aliud videtur dicere, quam quod propter ſcandalum prætermittendum ſit quidem omne, quod prætermitti poteſt: modo ſalva maneat triplex veritas: nempe *veritas vitæ*, quæ in quovis homine honeſtis moribus: *veritas juſtitiæ*, quæ in judicibus adminiſtratione juſtitiæ: & *veritas diſciplinæ*, quæ in ſuperioribus exacta obſervantiæ cura abſolvitur. De hac triplici veritate regula procedit, ſed pro eo caſu, quo ſine peccato quodpiam ejuſcemodi officium omitti non poteſt, cum non ſit faciendum malum, ſive peccatum, vel omiſſione debiti officii, ut eveniat bonum, multo minus, ut evitetur aliud malum, ſcandalum ſcilicet paſſivum alterius culpa committendum. Verbo, hæc regula præcipue intelligenda eſt, ut veritas non omittatur, quando urget præceptum ſub peccato ad veritatem: quia ſi tunc veritas derelinquitur, Deus offenditur. Fallit

hæc

Digitized by Google

hæc regula 1. in omittendis actibus non præceptis, & rebus, ubi veritas eſt tantum de conſilio: ſic ad vitandum ſcandalum puſillorum opus aliquando bonum, ſed ſupererogatorium omitti poteſt ob charitatem. Fallit 2. in veritate juſtitiæ, & diſciplinæ ſaltem temperanda, ſi ex ipſo alterutrius rigore ſubditorum mala graviora prudenter timeantur.

IV. *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum:* ſive *Propter neceſſitatem illicitum efficitur licitum.* Hæc regula intelligenda eſt de illis, quæ tantum illicita ſunt jure poſitivo *ſive Divino*, ut v.g. ſabbathum cuſtodire, eſt præceptum jure divino poſitivo: Machabæi tamen ſine ſua culpa ſabbatho pugnabant, ſive jure poſitivo *Eccleſiaſtico*: ut miſſam audire, jejunium obſervare, eſt præceptum jure Eccleſiaſtico, tamen ægrotus miſſam non audiens, aut jejunium non obſervans, non habebitur reus præcepti, ſed cauſa rationabilis, & neceſſitas eum excuſabit. Fallit hæc regula 1. in actibus, qui jure naturali illiciti ſunt, & ideo prohibita, quia mala, ut hæreſis, blaſphemia, adulterium &c. quæ nunquam ſunt licita. Fallit 2. in actibus, etſi præcepto tantum humano vetitis ſi cederent in contemptum poteſtatis, & ipſius legis.

V. *Quod latenter, aut per vim, aut alias illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere*, ſeu: *Illicite factum obligationem non inducit.* Quia talia illicite facta, aut fiunt clam, & latenter, & ideo de malo ſunt ſuſpecta: aut fiunt per vim, & metum gravem, & ſic ipſo jure ſunt nulla, & revocari debent juxta *tit.* 40. *lib.* 1. *Decret. de his, quæ vi, metusque cauſa fiunt.* Fallit hæc regula in iis, quæ contra legem ſolum prohibentem, & non ſimul irritantem facta ſunt: *nam multa fieri prohibentur, quæ ſi fuerint facta obtinent roboris firmitatem. cap.* 16. *de regular.*

VI. *In ipſo cauſæ initio non eſt à quæſtionibus inchoandum.* Seu: *Tormenta indiciis non præcedentibus inferenda non ſunt.* Id eſt, nullus debet torqueri, niſi præceſſerit ſemiplena probatio. Nec per tormenta veritas inquirenda eſt: cum tormenta, ſive tortura, aut uti in jure Civili dicitur *Quæſtio*, adhiberi non debeat ad veritatis indagationem, niſi in ſubſidium, quod aliter veritas haberi non poſſit, & quod ſemiplena præceſſerit probatio. Quibus

Digitized by Google

bus non obſtantibus reus de fuga ſuſpectus incarcerari initio ſtatim poteſt, quæ incarceratio, niſi admodum diuturna, & aſpera, nomine quæſtionum non venit.

VII. *Quidquid in ſacratis Deo rebus, & Epiſcopis injuſte agitur, ſacrilegium reputatur, quia ſacra ſunt, & à quoquam violari non debent.* Seu: *Sacrilegus eſt offendens rem, vel perſonam Eccleſiaſticam.* Duæ ideo ſunt ſpecies ſacrilegii juxta Stephanum I. Pontificem, qui hanc regulam poſuit: una ſcilicet in rebus Deo ſacratis: altera in Perſonis Deo conſecratis: ſub rebus Deo ſacratis, etiam loca ſacra intelliguntur. Qui ergo violat rem, vel locum Deo ſacratum, aut Perſonam Deo conſecratam, committit ſacrilegium. Fallit hæc regula 1. circa Perſonas dum hæ clericali privilegio jure, vel facto privatæ ſunt. 2. Fallit circa res, ſi ſacræ eſſe deſinant, vel in caſu communis neceſſitatis. 3. fallit circa loca ſacra, ſi itidem execrata ſint.

VIII. *Qui ex timore facit præceptum, aliter facit, quam debeat, & ideo jure non facit.* Seu: *Qui facit aliter, quam debet, facere non dicitur.* Intelligenda eſt hæc regula hoc ſenſu: qui facit rem præceptam ex timore ſervili, non amore juſtitiæ, quam poſitive excludit, ſed timore tantum pænæ, à qua ſola hic & nunc movetur, dicitur non facere. Tradita eſt hæc regula à S. P.N. Auguſtino.

IX. *Defleat peccator, quia offendens in uno, factus eſt omnium reus.* Intelligenda eſt hæc regula, quod per unum peccatum in ratione averſionis à Deo eundem quoad ſubſtantiam reatum incurrat, ſcilicet pænæ æternæ peccator, quem incurrit de omnibus reus: ſed non quoad intenſionem, vel ut tantum puniretur propter unum peccatum, quantum puniretur, ſi omnia præcepta violaſſet. Verbo, intelligenda eſt hæc regula quoad præcipuum effectum peccati gravis, nempe privationem gratiæ, & pænam damni, quæ perinde ob unum, quam ob omnia peccata gravia incurritur: non vero quoad malitiam ipſam, & pænam ſenſus.

X. *Non poteſt eſſe Paſtoris juſta excuſatio, ſi lupus oves comedat, & Paſtor neſcit.* Seu: *Ignorantia non excuſat Prælatum in peccatis ſubditorum.* Hæc regula eſt effatum S. Gregorii: nec fallit, niſi ignorantia plane ſit invincibilis; neque enim ignoran-

tia excuſat, quando quis tenetur diligenter indagare, cuſtodire, & præcavere ſibi commiſſos à lupis, & peccatis juxta obligationem ſuam, & per ignorantiam non facit, aut negligit.

XI. *Indignum eſt, & à Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur.* Hæc regula procedit de homagio proprie tali, quod eſt juramentum fidelitatis, quo Domino temporali directo ſubjectio ad certas operas, & præſtationes temporales promittitur, & promittentem Vaſallum promiſſarii efficit: præſtare enim talia obſequia pro ſpiritualibus, eſt Simoniacum. Non tamen procedit de homagio improprie accepto, quo Clerici Epiſcopis, & Epiſcopi Romano Pontifici fidem ſuam obſtringunt. Neque procedit de illo homagio, quo Clerici ratione temporalium fundorum, & regulares dominis directis itidem temporalibus obligantur.

Explicantur Regulæ Juris, quæ in ſexto Decretalium continentur.

1. *BEneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione Canonica obtineri.* Senſus hujus regulæ eſt: Deficientibus requiſitis ad Canonicam inſtitutionem, quæ ſunt 1. Collatio à Superiore Eccleſiaſtico non Laico 2. Inveſtitura. 3. Inductio in beneficii poſſeſſionem ab eo, qui habet poteſtatem. 4. Decens perſonæ habilitas, ut nempe ſit Clericus, vel Clericus non conjugatus, 5. ut obſervetur ſolennis inſtitutionis forma; & alia à jure præſcripta: deficientibus inquam his requiſitis non erit Canonica inſtitutio, nec ſic beneficium obtineri poterit, neque jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis, ſeu beneficii acquiritur, occupatur, vel retinetur, idque reſpective, nec licite, nec valide. Beneficium Eccleſiaſticum proinde obtineri non poteſt 1. *Tranſactione*: quia hæc non fit ſine datione alicujus rei, in qua Simoniæ periculum eſt: etſi illicita non ſit aliqua compoſitio de expenſis factis, aut de jure controverſo accedente Superioris authoritate. 2. Neque *Præſcriptione*: hæc enim ut legitima ſit, bona fides, & juſtus titulus requiritur; at qui contra Canones benefi-

cium

cium obtinet, bonam fidem habere non præſumitur. 3. Neque per ſententiam: nam ut in cauſa carnalis matrimonii judicis ſententia non tranſit in rem judicatam, ita nec in cauſa ſpiritualis matrimonii, quod ſuo modo eſt inter beneficiatum, & Eccleſiam ratione beneficii, & officii. Excipitur caſus regulæ 36. Cancellariæ *de triennali*: cum ſcilicet quis abſque Simoniaco ingreſſu beneficium invalide adeptus, per triennium illud pacifice poſſedit: quo caſu poſtea & valide, & licite illud retinet, Sede Apoſtolica omnem defectum ſanante.

II. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* Hoc eſt: qui ſcit rem, quam poſſidet, alienam eſſe, is rei illius per viam præſcriptionis nunquam dominus fieri poteſt. Rationem regulæ dat Innocentius III. *in Concil. Gen. Lateran. IV. cap. fin. de præſcript.* inquiens: *quoniam omne, quod non eſt ex fide* (intellige conſcientia) *peccatum eſt, ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam Canonica, quam Civilis.* Quo textu & aliis conſimilibus, *ut cap. 5. de præſcript.* Item *cap. fin. de conſtitut.* Item *cap. penult. de conſanguinitate.* Corrigitur Jus Civile, quod bonam fidem tantum ad inchoationem, non item continuationem, ſed neque ad longiſſimi temporis præſcriptionem requirit *§*: 11. *Inſtit. de uſucap.* Item *L. 7. cod. de præſcript. 30. ann.* Procedit autem regula de mala fide quocunque tempore oborta: nec patitur ullam exceptionem: nam ea exceptio, quam aliqui ex *cap. Placuit 1. de præſcript.* allegant, non eſt ad rem: cum ibidem in favorem fidei Chriſtianæ locus, quem aliquis Epiſcopus ad fidem converterit, tali Epiſcopo attribuatur: quo fit, ut juſto titulo Canonis locum illum alioquin in aliena diæceſi poſitum, ſuæ Diæceſi triennio præſcribere poſſit.

III. *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.* Senſus eſt: ad præſcribendum requiritur poſſeſſio in initio, in continuatione, & in fine præſcriptionis, ita ut non fiat interruptio poſſeſſionis rei. Hæc regula etiam procedit de quaſi poſſeſſione incorporalium: ex eaque recte infertur eum qui rem aliquam poſſidere non valet, ut Laicus jura ſpiritualia, præſcribere illam non poſſe.

IV. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.* Hæc

regula non tantum quoad remiſſionem quoad Deum eſt intelligenda, nempe quod remiſſio non fiat, niſi reſtituatur ablatum, ſi reſtituendi facultatem quis habeat, vel niſi ſerium propoſitum habeat de re tali reſtituenda, ubi poterit, niſi talis reſtitutio remiſſa fuerit: neque tantum eſt intelligenda de furto, aut violenta ablatione: ſed de quovis damno injuſte dato: & quod potiſſimum hujus loci eſt, de vitio etiam reali, quo afficitur res furto ablata, ita ut res furto ablatæ præſcribi non poſſint, niſi per reſtitutionem Domino factam vitium fuerit purgatum. Hæc regula fallit in tot caſibus, quot ſunt cauſæ à reſtitutione, ac reſpective reparatione damni illati excuſantes, quas Theologi morales recenſent.

V. *Peccati venia non datur, niſi correcto.* Hæc regula intelligitur primo de venia culpæ, & æternæ pœnæ, quod hæc ſcilicet non detur, niſi efficaciter pœnitenti, & emendato. 2. De pœna temporali, videlicet niſi juxta leges ordinatas punito, idque regulariter, nam in foro externo ſæpe correctus puniri, & non correctus ob cauſas publicas à pœna liber dimitti debet.

VI. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* Hæc regula eſt intelligenda non modo de phyſice, ſed etiam moraliter impoſſibili, quo ſenſu maxime veniunt, quæ turpia ſunt, & peccaminoſa, & quorum promiſſio etiam juramento confirmata non obligat.

VII. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.* Intelligitur hæc regula de privilegio, quod immediate perſonæ conceſſum eſt, & cujus cauſa proxima eſt perſona. Sic Archi-Epiſcopus pallium, quod habet conceſſum à Pontifice, nequit relinquere ſucceſſori, ſed cum eo ſepeliendum eſt.

VIII. *Semel malus ſemper præſumitur malus.* Hæc regula intelligenda eſt de eodem genere mali: nec enim qui ſemel adulter eſt, ſtatim homicida, vel alio crimine obſtrictus eſt, præcipue ſi de vitiis oppoſitis agatur, uti ſunt avaritia, & prodigalitas. Dicitur autem *præſumitur:* hæc enim regula juris ſola præſumptione nititur: hinc facile refellitur adhibita probatione in contrarium, oſtendendo ſcilicet, eum, qui malus fuit, ſe emendaſſe;

daſſe: nam tunc ulterius malus dici non debet, & præſumptio cedere debet veritati. Excepto perjuro, cui etiam poſt emendationem amplius non creditur. Econtra is, qui ſemel bonus fuit, ſemper præſumitur bonus.

IX. *Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.* Ratum habere dicimus, cum approbamus, quod noſtro nomine eſt geſtum: ergo ſi noſtro nomine geſtum non eſt, ratum habere non poſſumus. Procedit ergo regula 1. in delictis, quorum pœnæ non incurruntur ab eo, qui illa approbat quidem ut ſimpliciter patrata, non autem nomine ſuo patrata: Caſus habetur *cap.* 23. *de ſent. excomm. in* 6. ubi approbans percuſſionem Clerici non factam ſuo nomine, immunis ab excommunicatione declaratur. 2. in factis quibuſcunque odioſis, & præjudicium afferentibus, quæ nomine meo facta non cenſentur, niſi ſpeciali mandato ea fieri juſſerim. *L.* 6. *§.* 6. *ff. de negot. geſt.* Hæc regula fallit 1 ſi ratihabitio vim habeat novi conſenſus, ut in caſu *can. fin. VII. q.* 2. ubi Urbanus Papa reſcribit, ordinatum ab alieno Epiſcopo miniſtrare poſſe in ordine ſuſcepto, ſi proprius Epiſcopus ordinationem ratam habeat. 2. in caſu *c.* 28. *V. quodſi de Elect.* ubi Electores contenti electionem ratam habere poſſe dicuntur. 3. in caſu *c.* 3. *de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu cap.* ubi valida pronuntiatur alienatio, quam à Prælato factam Capitulum ratam habuit. 4. in caſu *L.* 7. *§. penult. ff. ad SC. Maced.* ubi mutuum à filio acceptum conſenſu, & ſolutione patris confirmatur. 5. in caſu *L.* 1. *ff. de receptis*: & *L.* 1. *c. de his, qui latron.* ubi receptores furum, & latronum ob præſumptam adeo ratihabitionem puniri jubentur.

X. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Ne iſta regula contradicat priori, intelligenda eſt, ſi videlicet illud, quod ratum habeo, nomine meo geſtum eſt. Verus ergo ſenſus regulæ eſt: quandocunque aliquid ab alio nomine meo geſtum poſtea ratifico, & approbo, idem eſt, & eoſdem habet effectus juris, ac ſi à me ei prius expreſſe fuiſſet mandatum, ſeu verum ad id ei dediſſem mandatum. Ita deſumitur ex *C. penult. de ſent. excomm. in* 6. Item ex *L. ſi fundus* 16. *§.* 1. *ff.* de

Digitized by Google

de pignor. Item *L.* 1. *ʃ. dejeciſſe* 12. *ff. de vi, & vi armata.* Sic in exemplo, ſi quis equum ſine meo mandato, nomine tamen meo emit, & poſſeſſionem ejus accipit: & ego poſtea ratam habeo, ſeu ratificio, & approbo hanc emptionem equi, idem ego acquiro dominium, & poſſeſſionem equi, ac ſi equus ab altero emptus fuiſſet expreſſo à me habito mandato. Item ſi quis ſine meo mandato, nomine tamen meo percuſſit Clericum, & ego poſtea ratam habeo hanc percuſſionem, æque excommunicatus ſum, ac ſi prius ad hanc percuſſionem dediſſem mandatum. Item ſi alius meo etiam inſcio, meo tamen nomine aliquem dejecit à poſſeſſione, & ego hoc poſtea ratifico, perinde teneor ad poſſeſſionem reſtituendam, & reſarcienda damna illata, ſicut tenerer, ſi id à principio mandaſſem. Pro primo exemplo ſtat *arg. L. ſi ego* 24. *ff. de Negot. geſt.* Pro ſecundo exemplo ſtat *textus expreſſus c. penult. de ſent. excomm. in* 6. Pro tertio exemplo ſtat. *c. cum ad ſedem* 15. *de Reſtit. ſpoliat* Item *L.* 1. *ʃ. ſed & ſi* 14. *ff. de vi, & vi armata.* Poro Ratihabitio non tantum æquiparatur mandato, ſed etiam retrotrahitur tam ad tempus, quam locum, in quo actus nomine meo fuit geſtus, ita ut actus non primum à tempore ratificationis, ſed jam à tempore, & die quo nomine meo fuit geſtus, validus eſſe, & effectum ſuum habere cenſeatur, & propter contractum nomine meo geſtum, & ratihabitum non in loco ratihabitionis, ſed in loco actus geſti forum ſortiar. Et hæc regula procedit de omni actu, & contractu, imo etiam de ipſis delictis, dummodo delictum ſit tale, quod nomine alterius committi poteſt: Secus eſt in delictis, quæ nomine alterius fieri nequeunt, uti ſunt delicta libidinis, adulterium, ſtuprum, &c. hæc enim ſicut alteri demandari nequeunt, ita etiam ab alio facta proprie ratihaberi non poſſunt Fallit hæc regula 1. ſi ratihabitio cedat in præjudicium tertii, ut v. g. ratihabitio geſtorum à falſo procuratore, qui in judicio alioquin vicit, ſed ea parte condemnata repelli etiam poſt ſententiam poteſt *L.* 24. *cod. de probat.* 2. Si mandatum ſpeciale ab initio actus ad ejuſce ſubſtantiam requirebatur, ut in caſibus regulæ 18. dicetur infra, & in reſcriptis juſtitiæ *cap.* 28. *de reſcript.* 3. Si ratificans, quo tempore actus

pa-

patratus eſt, natura impeditus fuit ad illum mandandum, ut ſi quis adultus factus ratihabeat homicidium ſuo infantis nomine patratum, non ſit irregularis. 4. In pleriſque delictis, niſi ea ſint in futurum pendentia, & ratihabens ad eorum executionem concurrat.

XI. *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori.* Contingit autem hoc duobus modis: vel quia actor nihil probavit: vel quia utrinque probationes ſunt æquales: ad priorem modum pertinet illa juris ſententia: *Actore non probante reus abſolvitur, etiamſi nihil præſtiterit cap. fin. §. fin. de jure jurando.* Quoad poſteriorem modum, ubi æqualis utrinque eſt probatio: quoad deciſionem ſequi ſolet id, quod traditur *cap. 3 V. quod ſi amborum. de probat. Promptiora ſunt jura ad abſolvendum, quam condemnandum.* Fallit hæc regula 1. in caſu, quo actor fovet cauſam favorabilem v. g. pro matrimonio, libertate, dote, aut teſtamento. In hujuſmodi enim caſibus ſtante dubio actori potius, quam reo favendum eſt. 2. In omni cauſa pia, ſi eam tuetur actor, quia cauſæ piæ etiam inter favorabiles cauſas veniunt. 3. Si actor eſt in poſſeſſione, quia juxta *regulam juris 65. in 6. In pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis.*

XII. *In judiciis non eſt perſonarum acceptio habenda.* Hæc regula judicem monet, ne in adminiſtranda juſtitia deferat perſonæ in dignitate, vel officio conſtitutæ, ex favore, vel odio recedendo à juſtitia, vel ſaltem à modo recedendi in judicio: ſed depoſito omni affectu odii, favoris, præmii, timoris, cauſam ex æquo cognoſcat. Non prohibetur autem judex remoto affectu interdum perſonæ habere rationem in judicio, ſi ita lex jubeat, vel diſponat, ut in minoribus 25. annis ratione contractuum ſine curatore initorum, aut reſtitutionis in integrum. In mulieribus ratione SC. Vellejani, Filiisfamilias ratione SC. Macedoniani. In pæna mitiganda ob perſonarum dignitatem.

XIII. *Ignorantia facti, non juris excuſat.* Facti ignorantia dicitur, cum quis ignorat id, quod factum eſt. Ignorantia vero juris dicitur, cum quis ignorat, quod à jure conſtitutum, vel comprehenſum eſt. Hæc regula intelligenda eſt de ignorantia

non

ſion proprii facti, ſed alieni, ſiquidem ignorantia proprii facti veniam non meretur per L. quamquam 7. ff. ad SC. Vellejanum. Cum enim facta aliena infinita ſint, & plerumque etiam prudentiſſimos fallant, nulla culpa ignoranti adſcribi debet: niſi eſſent facta ita notoria, & gravia, ut ſine ſumma negligentia ignorari non poſſint. Volunt etiam aliqui, quod ignorantia juris excuſet, ſeu non noceat, ſi non agatur de lucro, ſed damno rei vitando: imo etſi de lucro, ſi ignorans ſit miles, fæmina, aut ruſticus, vel alius ſimplex, qui juriſconſulti, quem conſulat, defectum habuit, nec aliunde inſtructus fuit.

XIV. *Cum quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.* Hæc regula æque intelligenda eſt de ignorantia facti alieni, quæ excuſat. Unde ſenſus regulæ eſt, qui vel in univerſum jus alterius v.g. ex teſtamento, vel ab inteſtato aut quo ad res particulares in jus alterius ſuccedit v.g. legatarius, Fidei Commiſſarius, Donatarius, Emptor, imo etiam Prælati in dignitate, officio, beneficio ſuccedentes, cum hi æque ac hæredes facta anteceſſorum, utpote aliena, invincibiliter ignorare præſumantur: juſtam ignorantiæ cauſam habere cenſentur, in caſu ſi conveniantur ab aliquo ut v.g. ſolvant debitum anteceſſoris, vel reſtituant rem ab ipſo ablatam: non autem in caſu, quo ſucceſſor ipſe contra alium actionem inſtituit, tunc enim ignorantia ei non opitulatur, cum quivis ad judicium provocans certus eſſe debeat de facto ſuo: hinc deliberatoriæ dilationes dantur reo, non actori.

XV. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* Senſus hujus regulæ eſt: leges, Canones, ſtatuta, Reſcripta, diſpoſitiones odioſæ, id eſt, illæ, quæ vel à jure communi exorbitant, vel principaliter in odium & pænam tendunt, ſtricte ſunt interpretandæ, & propterea non extendendæ, ſed reſtringendæ ſunt. Econtra favorabiles, illæ videlicet, quæ principaliter in favorem alicujus factæ ſunt, late ſunt explicandæ. Sic quia *Canon ſi quis ſuadente diabolo* principaliter in favorem ſtatus Clericalis eſt conditus, late eſt interpretandus, adeoque etiam ad converſos, ſeu Religioſos laicos eſt extendendus. Econtra quamvis vi Concilii Tridentini excommunicationem incurrant, qui fæminas ad ingre-

dien-

diendam religionem cogunt, tamen hanc excommunicationem non contrahunt cogentes maſculum ingredi Religionem: quia Tridentina diſpoſitio tanquam odioſa ad perſonas non expreſſas extendi nequit.

XVI. *Decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.* Nomen beneficii hic late ſumitur pro privilegio, & quidem reali, ne Regula hæc contradicere videatur regulæ VII. Senſus ergo hujus regulæ eſt: Beneficia, privilegia, & aliæ gratioſæ conceſſiones Principum ſine determinatione temporis, vel clauſula reſtrictiva conceſſa durare, & manere debent: perſonalia quidem uſque ad mortem privilegiati: realia vero ſtabiliter, ita ut neque à ſucceſſore auferri conveniat, neque ceſſent ſine juſta, & gravi cauſa: cum æque Princeps ex ſuo conſenſu obligetur ac privatus propter æquitatem, & rationem naturalem dictantem, ea quæ ſemel placuere, eſſe ſervanda. Dicitur autem in hac regula *Decet*, non *Debet*, ut indicetur, quod per Principem *abſolute* poſſit revocari.

XVII. *Indultum à jure beneficium non eſt alicui auferendum.* Hæc regula præcedenti non multum eſt diſſimilis: eundem enim effectum beneficium habet, ſive ſit à Principe, ſive à jure (cujus Author Princeps eſt) conceſſum. Senſus regulæ eſt: quod indultum beneficium, vel privilegium ex lege, vel jure competens, à nullo homine, etiam judice auferri valeat, niſi à ſupremo legislatore ex gravi cauſa: Sicut enim Princeps interdum ex cauſa beneficium ſuum revocat, ita & juris beneficium nonnunquam aufert, nonnunquam moderatur, uti videre eſt in beneficiis SC. Macedoniani, & Vellejani: quæ licet juris beneficia ſint, multis tamen caſibus reſtringuntur ex cauſa *L. 2. & 5. cod. ad SC. Macedonianum.*

XVIII. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.* Hæc regula procedit in actibus juridicis, ut teſtamentis, contractibus, præſcriptionibus, beneficiis &c. Actus, qui à principio ipſo jure invalidus, & nullus eſt, ſolo tractu, & lapſu temporis non fit validus, niſi tali actu tractu temporis adveniant omnia ad valorem neceſſaria. Nam ſicut tractus temporis non

facit ex actu à principio valido, invalidum: ita nec facit ex actu à principio invalido validum.

XIX. *Non eſt ſine cauſa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.* Senſus hujus regulæ eſt: qui rem alienam, in quam nullum jus habet, invadit: officium aſſumit, artem exercet ſuo ſtatui non convenientem extra caſum neceſſitatis, aut abſque habita ſufficiente ſcientia, peritia: ille peccat, & ad reparationem damnorum, ſi quæ inde ſequantur, tenetur. Sic peccant indocti aſſumentes officium Judicis, Advocati, Medici &c. Item Clerici exercentes chyrurgiam, & caſu aliquem occidentes fiunt irregulares, quia immiſcent ſe actui ſuo ſtatui inconvenienti.

XX. *Nullus uti pluribus defenſionibus prohibetur.* Senſus regulæ eſt: Nullus reus in judicio conventus prohibetur pro eadem re, vel jure ſuo conſervando plures etiam diverſas, & ſibi contrarias adhibere exceptiones, non quidem eas ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive proponendo, ita ut ſi una non valeat, vel inſufficiens ſit, alia allata ſufficiens maneat. Et quidem hæc regula de Reo ſolum, non de actore intelligenda eſt: quia defenſio eſt juris naturalis: quæ autem hujus juris ſunt, magis favorabilia ſunt, adeoque etiam cauſa Rei favorabilior eſt, quam actoris. Fallit hæc regula, ſi quis lege ſpecialiter prohibeatur: v.g. quia conventus de noxa ſervi, vel pauperie quadrupedis falſo negaſſet, ſe habuiſſe hunc ſervum, vel hanc quadrupedem, jam alia exceptione uti non poſſet per *L.* 21. *§. fin. ff. de noxali act.* Et *L.* 1. *§.* 14. *ff. ſi quadrup. paup. fec.* Item, ſi debitor propriam ſcripturam, aut numeratam pecuniam, creditor acceptum pignus neget, & de mendacio convincantur, aliam defenſionem afferre prohibentur. *Auth. contra. C. de non numerat. pecun.* Et *Auth. item poſſeſſor C. qui potior in pignore.*

XXI. *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* Hæc regula maxime procedit de contractibus civilibus, matrimonio, Profeſſione Religioſa, SS. Ordinibus, electione Prælati, arbitri item & compromiſſarii &c. Fallit tamen hæc regula 1. ſi in contractu Civili diſſolvendo utraque pars conſentiat, excepto matrimonio. 2. ſi cauſa nova, nec prævisa ſuperveniat. 3. in ultimis voluntatibus, quia hæ ambulatoriæ ſunt ad vitæ ſupremum exi-

exitum. 4. In Judice, qui ſententiam ſuam interlocutoriam revocare poteſt.

XXII. *Non debet aliquis alterius odio prægravari.* Hoc eſt: non debet alter ob alterius delictum damnum pati, v.g. ſi Pater commiſit delictum excommunicatione dignum, non debet etiam filius excommunicari. Fallit hæc regula in crimine læſæ Majeſtatis, item hæreſis, ob quæ filii cum parentibus etſi inæquali pæna puniuntur. Item in pæna interdicti loco alicui inflicta: item ſic dictis repreſſaliis legitima authoritate conceſſis: ubi innocentes cum nocentibus gravantur. Item in illegitime natis.

XXIII. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.* Hæc regula ſimul & exceptionem continet: generaliter enim tradit, neminem ſine culpa ſua eſſe puniendum, exceptionem ſubdit, niſi ſubſit cauſa, quæ innocentem puniendum ſuadeat, ut viſum in regula præcedente.

XXIV. *Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe.* Senſus eſt regulæ: cum ſuperioribus, Magiſtratibus, & Judicibus obediendum ſit, quando videlicet non mandant contra Deum, contra leges, nec limites ſuæ juriſdictionis excedunt, parendo mandato illorum, doli, & culpæ reus non eſt: ſecus eſt, ſi non habeat parere neceſſe, prout ille laicus, qui de mandato Abbatis Monachum verberavit, excommunicationem incurrit, quia non habuit neceſſe parere.

XXV. *Mora ſua cuilibet eſt nociva.* Hæc regula maxime procedit de moroſo debitore, & ſenſus eſt: dilatio in faciendo id, quod quis tenetur, & poteſt facere, & interpellatus ſeu monitus à die, vel ab homine, culpabiliter non facit, eſt nociva talis mora, quia tunc tenetur moroſus debitor de caſu etiam fortuito: v.g. aliquis habuit alterius equum, & non reſtituit, dum monitus potuit, ſi pereat equus, ipſi perit.

XXVI. *Ea, quæ fiunt à judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.* Senſus eſt: quæcunque acta ſunt à Superiore, vel Judice ſive Eccleſiaſtico, ſive ſæculari, ſi ejus non ſubſunt poteſtati, irrita ſunt, & nulla: ſic à judice incompetente invalida ſunt acta: item invalide judicat extra ſuum territorium.

 XXVII.

XXVII *Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus.* Hæc regula procedit, ſi conſenſus ſit liber, & à metu gravi immunis. Iſti duo termini *ſcienti*, & *conſentienti* ſumuntur copulative, ita ut quis ſciat, & ſimul conſentiat. Præterea conſentiens debet poſſe cedere juri ſuo. Hinc hæc regula fallit in caſu, quo Clericus conſentit, ut coram judice laico conveniatur, contra privilegium non ſuum, ſed ſui ſtatus. Item ſi Clericus percutiatur etiam conſentiens in percuſſionem, percutiens adhuc excommunicatur, ob mox dictam rationem.

XXVIII. *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentia ſunt trahenda.* Per ly *Exorbitare* intelligitur deviare, diſcordare, aut deflectere. Unde hæc regula procedit de privilegiis contra jus, ultra eorum tenorem non extendendis: hoc eſt, quæ à jure communi deflectunt, non ſunt extendenda ad alias perſonas, aut caſus. v.g. Laicis conceditur Jus Patronatus, quod eſt privilegium præſentandi ad beneficium, non extendendum, quod etiam Laici poſſint judicare de jure Patronatus. Excipiuntur caſus, quibus privilegia puri favores ſunt, proinde amplianda.

XXIX. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Senſus eſt: quod ad omnes ſpectat, ab omnibus debet approbari, ſeu recipi: ſi ad omnes ſpectat ut ſingulares perſonas, & diſtributive, omnes debeant conſentire v.g. ſi plures habeant dominum in fundum, non poteſt eidem imponi ſervitus, niſi ſingulorum intercedat conſenſus; ſi autem ad omnes ſpectat collective, & ut unius univerſitatis, & communitatis membra, ſufficit, ut major, ſeu ſanior pars conſentiat.

XXX. *In obſcuris minimum eſt ſequendum. Obſcura* hic dicuntur, quorum ſententia incerta eſt, quæque nunc in hanc, nunc in aliam partem pertrahi poſſunt. Ne igitur res per obſcuritatem pereat, benigne receptum eſt, ut ſaltem id, quod in ſententia minimum eſt, hoc eſt, minus recto nocet, ſequamur, cum procliviores eſſe debeamus ad liberandum, quam condemnandum. Senſus ergo hujus regulæ eſt: quando in lege, ſtatuto, aut alia diſpoſitione ſenſus ita obſcurus eſt, ut neque ex natura actûs, neque ex antecedente, aut ſubſequente tenore verborum, neque ex conſuetudine loci, nec ex aliis circumſtantiis vera legiſ-

lato-

Digitized by Google

latoris, vel aliter diſponentis voluntas ac intentio ſaltem veriſimiliter ſatis appareat, id, quod minimum, hoc eſt, quod minus obligat, vel gravet, ſequi debemus: qui ſequendo minimum, minus errandi periculum eſt. Hæc regula communiter vacatur *ſubſidiaria*, id eſt, in ſubſidium, caſu quo aliunde de veritate ſatis non conſtat.

XXXI. *Eum, qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.* Senſus eſt, qui plenam ſcientiam, & certitudinem habet ipſius rei, qualitatum & circumſtantiarum, non eſt ei de tali re, qualitate, & circumſtantiis nova certioratio facienda: quia id fruſtra fieret. Sic non tenetur venditor certiorem facere emptorem de defectu rei venditæ, v.g. equum eſſe cæcum, ſi venditor ſciat talem defectum emptorem non ignorare.

XXXII. *Non licet Actori, quod Reo licitum non exiſtit.* Ratio hujus regulæ eſt: quia Rei partes ſunt favorabiliores, quam Actoris, & ſic non permittendum Actori, quod Reo non permittitur: unde quia non licet Reo poſt recognitionem depoſitionum à teſtibus proditarum ulterior teſtium reproductio: ergo neque Actori. Fallit hæc regula 1. In petitione extraordinarii Judicis, quæ Actori, non reo conceditur *L. 1. cod. de debit.* 2. In electione Judicis, ſi cauſa ad plures pertineat, quæ item actori non reo permittitur. *L. fin. C. ubi in rem act.* 3. In emendatione libelli actori, non reo conceſſa. *L. 83. §. 1. ff. de verb. oblig.*

XXXIII. *Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* Quando videlicet ex mutatione voluntatis, vel placiti alteri impedimentum, vel detrimentum ſequitur. Et intelligenda eſt regula: ſi alicui acquiſitum eſt jus in re, & ad rem irrevocabiliter, per novam mutationem conſilii, ab eo aufferri non poteſt. Et procedit regula in electionibus completis, contractibus celebratis, collationibus, & præſentationibus ad beneficia &c. A contrario vero ſenſu hujus regulæ infertur, ſi nullum detrimentum ſit, nulla captio alterius, mutationem conſilii impune fieri poſſe, uti in depoſitio, mandato, ſocietate &c.

XXXIV. *Generi per ſpeciem derogatur.* *Genus* apud Juris Conſultos non accipitur pro genere logico, ſeu Dialectico, ſed pro eo, quod plura ſingularia nomine ſuo comprehendit, ſive ſit

 ſpe-

ſpecies logica ut homo, equus &c. ſive aliud æque late patens, ut v g hoc nomen *fundus*, importans quidquid ſolo continetur-eſt genus ad prædium, agrum, poſſeſſionem &c. quæ ſunt ſpecies, & inter ſe differunt. *Species* vero juxta legiſtas dicitur id, quod prædicatur de pluribus individuis ſive Philoſophice, ut homo de Petro, Paulo &c. ſive legaliter, ut v.g. ager de hoc, vel illo agro. Senſus ergo hujus regulæ eſt, quod generi per ſpeciem, id eſt, toti per partem, univerſali per particulare derogatur: v.g. Petro eſt legatum dolium, & Paulo vinum, hoc extrahendum eſt à dolio, & dandum Paulo, licet vinum ſit ſpecies contenta ſub genere, & toto, nempe ſub dolio. Procedit hæc regula in legibus, mandatis, Reſcriptis, teſtamentis, contractibus &c. Fallit autem hæc regula 1. in reſcriptis gratiæ, & privilegiis, ubi ſpeciale non derogat generali, niſi illius mentionem faciat. 2. Cum per genus jam eſt jus quæſitum tertio, v.g. ſi alicui jam hypothecata ſint omnia bona, & in genere, non valet ſpecialis hypotheca alicujus prædii alteri facta. *L.* 6. *C. qui potior in pig.*

XXXV. *Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.* Senſus eſt: qui poteſt majus, vel cuilicet, quod eſt plus, licebit & id, quod eſt minus: ſeu qui poteſt totum, poteſt & partem, ſi illud plus, majus, vel totum ſint in eodem genere, & cæteris paribus cum minori, vel parte. v.g.Sacerdos poteſt abſolvere à mortalibus, ergo & venialibus. Petrus donat Paulo bovem: ergo & pellem, & oſſa. Titius legat Petro 100. florenos, & per errorem ſcribit 200. florenos: valebit legatum quoad centum florenos: quia minus continetur in majori. Fallit hæc regula 1. in aditione hæreditatis: cum enim hæres poſſit adire totam hæreditatem, nequit adire tantum aliquam ejus partem cæteris relictis. L. 7. ff. de R.J. 2. In procuratore per generale mandatum conſtituto, cui non licet ea curare, quæ ſpeciali mandato indigent. *cap. qui ad agendum. de procurat. in* 6:

XXXVI. *Pro Poſſeſſore babetur, qui dolo deſiit poſſidere.* Senſus eſt: quicunque rem poſſeſſam relinquit, ſeu deſinit poſſidere, dolo ſcilicet, calliditate, fallacia & malitia propria in præjudicium tertii: poteſt nihilominus tanquam verus Poſſeſſor juridice conveniri:

Digitized by Google

niri: quia per fictionem juris pro vero poſſeſſore habetur, & nemini fraus, & dolus patrocinari debet. Sic v.g. qui rem mala fide poſſidens adverteret illam vindicatum iri à domino, eam deſtruit, vel diſtrahit, aut in alium malitioſe transfert, perinde in judicio convenitur, ac ſi eam actu haberet.

XXXVII. *Utile non debet per inutile vitiari.* Senſus hujus regulæ eſt: quidquid ex ſe, ſive de jure validum, vel alias ad efficiendam, firmandam, aut aſſecurandam rem aptum, & conducens eſt, valorem, & vim ſuam non amittit adjunctione, vel acceſſione alicujus de jure prohibiti, aut invalidi, vel alias inepti. Sic donatio profana inter vivos 500. ſolidos excedens, & ſine inſinuatione apud judicem facta, non vitiatur, ſeu invalidatur quoad ſummam à jure permiſſam, ſed quoad exceſſum dumtaxat. *L. Sancimus* 34. *c. de donat.* Pariter etſi inter eligentes unus excommunicatus irritum dederit votum, non irritantur vota aliorum, nec vitiatur, vel invalidatur electio per majora valida vota celebrata. Hæc ergo regula procedit in donationibus ultra 500. ſolidos inter vivos nulla inſinuatione facta apud judicem: in ſtipulationibus & contractibus, in quibus plus ſpondetur, quam petitur, in electionibus, in teſtamentis &c. Fallit autem hæc regula 1. ſi inutile non poſſit ſeparari ab utili, ut fit in ſervitute aquæ ducendæ. 2. in teſtimoniis, ubi teſtis in uno capite mendax ex toto rejicitur *can.* 17. *q.* 9. 3. in inſtrumento publici Notarii ex parte falſo. 4. in ſententia judicis ad plus quam petitum ſit, condemnante. *L.* 27. *ff. fam. hercifc.* 5. Generatim, cum utile & inutile ſunt contraria, & vitium in re continent.

XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.* Hæc regula procedit de impugnatione judiciali reſcriptorum, teſtamentorum, inſtrumentorum &c. Eo ipſo enim, quod quis impugnet valorem & fundamentum juris ſui, non debet inde aliquod commodum habere, quia cenſetur illi juri tacite renuntiaſſe: qua de cauſa repellitur à conſecutione legati in teſtamento ſibi relicti, qui ipſum teſtamentum veluti falſum impugnavit, & ſi legatum accepit, repetetur ab eo, & Fiſco traditur. Excipitur 1. niſi ante ſententiam definitivam ab impugnatione deſiſtat *L.* 8. *§.* 14. *ff. de inoſſ. teſtam.* 2. niſi alieno non ſuo

nomine, nec plene libere, ſed ex officio impugnavit v.g. hæredis alias inſtituendi tutor & curator. *L.* 30. *ff. de inoſt. teſtam.*

XXXIX. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.* Hæc regula procedit non ſolum de iis, quæ ſimpliciter prohibentur, ſed etiam de iis, quæ ſimul irritantur. Unde ſenſus regulæ eſt 1. quando aliquid ſimpliciter duntaxat tanquam minus honeſtum, minuſque licitum abſque nullitate prohibetur, etiam ſimpliciter prohibita, & illicita, non autem invalida cenſentur omnia ea, quæ ex principali prohibito ob neceſſariam connexionem, & dependentiam ordinarie ſequuntur, ſaltem ſi eadem de his uti de illo militat ratio. v.g. dum Mæchia prohibetur, prohibitus quoque cenſetur omnis illicitus concubitus. Senſus regulæ eſt 2. Quando aliquid non tantum ſimpliciter ut illicitum, ſed etiam ut invalidum prohibetur, ſimiliter prohibentur, ut illicita & invalda, quæ ex tali principali prohibito ob neceſſariam connexionem, & dependentiam ſequuntur. v.g. quia alienatio rerum Eccleſiaſticarum ſine debita ſolemnitate prohibetur ut illicita, & invalida: etiam quævis donatio ut illicita, & invalida prohibetur.

XL. *Pluralis locutio, duorum numero eſt contenta.* Senſus regulæ eſt: quandocunque in lege, ſtatuto, reſcripto, inſtrumento, vel quacunque alia diſpoſitione terminus pluralis v.g. plura, pluras, pluries &c. indiſtincte ponitur, ſufficit numerus dualis, ſeu duorum, v.g. Papa diſpenſat cum aliquo, quod poſſit habere plura beneficia, numerum non exprimendo, iſta pluralitas nonniſi de duobus beneficiis, & quidem non curatis intelligi debet. Item lego ſervo libertatem poſt annos numerum non exprimendo, intelligitur poſt duos annos. Excipitur niſi majorem numerm Jura expreſſe requirant: ſic ad codicillum quinque, ad teſtamentum ſeptem requiruntur teſtes.

XLI. *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum erat faciendum.* Senſus hujus regulæ eſt: qui legitime impeditus, nempe vel gravi morbo, captivitate, aut alia juſta & rationabili cauſa, vel evidenti Eccleſiæ, ac reipublicæ utilitate, non facit, quod alias facere deberet, propterea nec pænam, nec damnum ſentire debet. Sic Clericus beneficiatus gravi morbo detentus choro non aſſiſtens, tamen lucratur diſtri-

butio-

Digitized by Google

butiones. Fallit hæc regula in lucris, & favoribus conditionatis: item ſi quis ſua culpa incidat in caſum, propter quam facere non potuit, quod debuit.

XLII. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Principale hic dicitur, quod in re præcipuum eſt, & quaſi cauſa illius, quod accedit. Senſus ergo regulæ eſt: tanta eſt dependentia acceſſorii à principali, ut inducto, conceſſo, prohibito, annullato, ſublato, vel confirmato principali, etiam inductum, conceſſum, prohibitum, annullatum, ſublatum, vel confirmatum cenſeatur acceſſorium. Ut v.g. quando alicui committitur cauſa matrimonii dijudicanda tanquam cauſa principalis, dijudicanda etiam committitur cauſa dotis velut acceſſoria. Fallit hæc regula 1. quando in principali, & acceſſorio diverſa reperitur ratio: ſic etſi principalis obligatio ſolvendi uſuras ſit nulla, tamen ſi juramento firmata eſt, acceſſorium juramentum ſervandum erit: ita clare *cap. Debitores 6. de jure jurando.* Cur autem acceſſoria juramenti obligatio ſit obſervanda, eſt ſpecialis ratio Divinæ reverentiæ, quæ ſ. vare juramentum compellit, qualis ratio in ſimplici promiſſione non reperitur. Fallit 2. quoad pia legata inſerta teſtamento ad cauſas profanas nulliter facto: quia illa, etſi acceſſoria, valent, licet principale, nempe teſtamentum ſit nullum: quia & in acceſſoriis legatis piis ſpecialis invenitur ratio, videlicet Religionis. Fallit 3. in caſibus, in quibus jura aliter ſpecialiter diſponunt: ut in caſu, quo ob adulterium uxoris matrimonio tanquam principali quoad thorum ſublato, non tollitur dos, ſed penes ſolum virum manet, etſi dos acceſſorium matrimonii ſit.

XLIII. *Qui tacet, conſentire videtur.* Senſus regulæ eſt: qui tacet in favoralibus, conſentire videtur: qui vero tacet in præjudicialibus, & odioſis, tunc conſentire videtur, quando contradicendo, & expreſſe diſſentiendo facile poteſt impedire id, de quo agitur, & in contrarium nulla conjectura apparet. Sic v. g. parentes contrahentes pro filiis, ipſis præſentibus, tacentibus, & non contradicentibus, ſponſalia (etſi forſan prolibus odioſa) cenſentur filii conſentire: & ideo ex ſic contractis ſponſalibus oritur impedimentum publicæ honeſtatis. Pariter etſi ſervum amittere res ſit Domino præjudicioſa: ſi tamen eo ſciente, & non contradi-

ſente ſervus ordinatur, valet ordinatio, ſervus liber evadit, & dominus illum amittit. Can. ſi ſervus ſciente. 20. diſt. 54. Item Capitulum pro conſentiente habetur, ſi tacet, & non contradicat alienationi à Prælato factæ.

XLIV. *Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur.* Hæc regula differt à priori in hoc: quia in priori regula agitur de conſenſu, an, & quando ex taciturnitate præſumi poſſit: in præſenti vero regula agitur de confeſſione, & negatione, & nonniſi in caſu interrogationis procedit, utrum videlicet confiteri, vel negare cenſeatur, qui ab alio interrogatus nihil reſpondet, ſed tacet. Senſus ergo regulæ eſt: dum quis tacet, quando non tenetur loqui, & poteſt loqui, nulla poſita conjectura extrinſeca, quæ negationem, vel confeſſionem indicet, talis neque negat, neque affirmat. v. g. ſi quis extra vel etiam in judicio à non judice interogatus an non hunc, vel illum percuſſerit? an non hoc, vel illud abſtulerit? ſi taceat, nec fateri, nec negare cenſetur. Cur autem tacens præſumatur conſentire, non vero tacens præſumatur confiteri? ratio eſt: quia conſenſus eſt actus voluntatis eligentis, & quieſcentis, qui actus adeſſe merito præſumitur, dum quis contradicere facile potuit, & non contradixit, ſed tacuit; confeſſio vero conſiſtit in aſſertione veri aut falſi, quorum nullum aſſerit, qui tacet. Fallit hæc regula, dum quis in judicio à judice legitime interrogatur: ſic enim interrogatus, qui tacet, pro confeſſo habetur. *L. de ætate 11. §. 4. de interrog. in jur. faciend.*

XLV. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* Senſus regulæ eſt: Quandocunque vera intentio, mens, & voluntas ſtatuentis, agentis, contrahentis, diſponentis &c. aliunde certo, vel ſufficienter non apparet, illud ſequendum, judicandum, & tenendum eſt, quod prudenter, & æquo animo, conſideratis conſiderandis ad cognoſcendam veritatem ſervientibus circumſtantiis veritati magis conſentaneum, ſeu conforme apparet: vel quod in hujuſmodi, de quibus quæritur, actibus, negotiis, aut diſpoſitionibus communiter, & ordinarie fieri ſolet, ac in regione fieri conſuevit. *arg. L. ſemper in ſtipulat. 34. ff. de reg. jur.* Sic contra mulierem longo tempore poſt contra-

ctum

ctum matrimonium cohabitantem cum viro, & contra matrimonium ſuum reclamantem, ſeque non eſſe cognitam aſſerentem, præſumitur, quod ſit cognita, eo quod hoc ſit veriſimilius. Can. ſi quis 3. cauſ. 33. q. 1. Item pater filio hæredi extraneum ſubſtituens, præſumitur ſubſtituiſſe ſub conditione, ſi filius ſine liberis, vel impubes deceſſerit. *L. 6. C. de inſtit. & ſubſtit.*

XLVI. *Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.* Dicitur in jus ſuccedere hæres, bonorum poſſeſſor, fiſcus vero quoad bona fiſco illata. In Dominium vero puta rerum ſingularium ſuccedere dicitur donatarius, legatarius, emptor &c. Illi in jus univerſum ſuccedunt alteri, vicemque ejus ſuſtinent, unde & omnes actiones tam activæ, quam paſſivæ in ipſos tranſeunt: & quod defuncto profuit, vel nocuit, ſimiliter & illis prodeſt, vel nocet. Quoad ſingularium rerum ſucceſſores eadem ratio eſt in iiſdem rebus, ut cum cauſa ſua tranſeant in ſucceſſorem: hinc fit, ut quæ auctori circa eandem rem petendam, vel defendendam competebant, eadem competant & ejus ſucceſſori. Excipiuntur privilegia perſonalia, quæ perſonæ defuncti cohærent v.g. uſusfructus, uſus, habitatio, actiones pænales necdum motæ à defuncto, revocationes donationum propter ingratitudinem &c. quæ ad alium non tranſeunt.

XLVII *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.* Hæc regula procedit de ignorantia facti alieni: in illis nempe caſibus, in quibus nec ſcire, nec indagare rem aliquis tenetur, neque publice de ea conſtat, nec caſus eſt juris naturalis, hujus enim juris ſcientia præſumitur, niſi ignorantia probetur. Sic ſi quis in Clericum Clericaliter non incedentem, indeque ex præſumptione ignorans eum eſſe Clericum, manus violentas injiciat, non excommunicatur. *C. ſi vero 4. de ſent. excom.* Fallit hæc regula in iis, quæ ſunt publica & notoria: & etiam in iis, quæ quis etiam in facto ex officio indagare, & ſcire tenetur: inde facti ignorantia non excuſat Paſtorem. *C. quamvis* 10. *de R.J.*

XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.* Hæc regula etſi in ſenſu disjunctivo loquatur, tamen in ſenſu copulativo eſt intelligenda: adeoque verus ſenſus regulæ eſt, quod nemo debeat cum damno & injuria alterius locupletari;

non vero, quod nemo debeat cum damno & detrimento alterius citra ejus injuriam, adeoque juſto titulo locupletari: alias innumeri caſus ab hac regula eſſent reprobati, qui in jure pro juſtis habentur: nempe legitimæ præſcriptiones, omnia lucra in bello juſto reportata, innumera commoda ex variis contractibus cum alterius detrimento juſte acquiſita &c. Dicitur autem quis cum injuria, & jactura alterius locupletari, qui rem alienam injuſte accipit, retinet, pro ſuo commodo utitur, propriisque rebus parcit &c. Et hæc regula fundatur non ſolum in jure poſitivo, ſed etiam naturali: neminem lædere injuſte: ſuum cuique tribuere, relinquere, & non injuſte auffere. Procedit proinde regula hæc de perſonis etiam privilegiatis, ut ſunt pupilli, minores, reſpublicæ, Principes, Fiſci, Eccleſiæ, quia & hæ juri naturali ſubjectæ ſunt. Fallit hæc regula 1. quoad forum externum in caſu, quo quis alteri chirographum dedit de mutuo ab eo accepta pecunia: in hoc enim caſu chirographum habens exigere poteſt pecuniam in chirographo contentam, licet eam mutuo nondum dederit, ſi debitor chirographum intra biennium non repetat, & de non numerata pecunia nullam exceptionem faciat. *L. contractibus* 14. *c. de non numerat. pecun.* Fallit 2. quoad forum externum in caſu, quo quis cohæres judicialiter agnitus partem hæreditatis accipit, eam reſtituere non amplius tenetur, etſi poſtea plene conſtet, eum verum hæredem de jure non fuiſſe. *L. cum putarem* 36. *ff. famil. Eriſcund.* Dicitur *quoad forum externum*: quia in foro conſcientiæ, qui pecuniam repetit, & acquirit, quam mutuo non dedit, illam pecuniam retinere non poteſt, ſed reſtituere tenetur. Item qui ſciens ſe hæredem non eſſe, etſi in foro externo talis agnitus ſit, partem hæreditatis acceptam reſtituere tenetur: niſi talis bona fide credens ſe hæredem eſſe, litem inceperit, & cauſam lucratus fuerit, quia tunc authoritate rei judicatæ dominium rei juſte acquirit eo fere modo, quo in præſcriptione.

XLIX. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Hoc eſt, quod in dubio, an gravior, vel levior pœna ſit infligenda, benignior ſit facienda interpretatio, & levior aſſignanda: ſi autem certa pœna ſit in jure ſtatuta, iſta eſt dictanda, niſi aliquando juſta

cau-

cauſa, & ratio oppoſitum ſuaderet. Sic v.g. ſi pro aliquo delicto aſſignetur pæna carceris, ſine expreſſione an perpetua, vel temporalis eſſe debeat: interpretatur, quod temporalis. Fallit hæc regula 1. in pæna excommunicationis, hæc enim, ſi à Canone feratur, non *minor*, ſed *major* intelligenda eſt. *c.* 59. *ſi quem. de ſent. excom.* Fallit 2. in Contumacia, contra quam judex procedere poteſt pæna, quæ magis timeri debet. *c. & §. fin. ut lite non conteſt.* Fallit 3. in materia interdicti, quia ſi interdicitur civitas, etiam ſuburbia cenſentur interdicta, ne in vilipenſionem legis ab interdicta civitate facile confugiatur ad ſuburbia. Pariter ſi interdicitur Eccleſia, etiam Capellæ, & Cæmeterium eidem contiguæ manent interdicta. *c. ſi civitas* 17. *de ſent. excomm. in* 6. Fallit 4. in delictis atrocibus, & in futurum pendentibus, ut v.g. eſt rebellio, & hæreſis. *L.* 5. *Si aliquis. C. de Epiſc. & Cler.*

L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.* Actus legitimus vocatur, qui à lege vel introductus eſt, ut ſunt hæredis inſtitutio, adoptio, emancipatio, hæreditatis aditio &c. Vel à lege certam formam recepit, ut ſtipulatio: vel denique à lege approbatus eſt, ut emptio, venditio, locatio, aliique contractus juris Gentium. Non tamen, omnes hiactus hac regula comprehenduntur, ſiquidem maxima eorum pars conditionem recipit: ſed tantum illi, qui in lege actus legitimi ff. hoc titulo 77. de R.J. recenſentur, ut eſt emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſervi optio, & datio Tutoris. His additur adoptio, quæ diei adjectione vitiatur. Item electio, & poſtulatio, quæ fiunt per vota conditionata. Item matrimonium, cui conditio contra ſubſtantiam adjecta eſt. Senſus proinde regulæ eſt: quod actus, geſtum, diſpoſitio, aut contractus, qui à lege, vel natura formam accepit, & ſub eadem forma fuit approbatus, & confirmatus, non recipiat conditionem, neque diem, id eſt, non eſt capax alicujus conditionis, & diei, quæ poſſint ſuſpendere eorum effectum in futurum eventum, vel in tale tempus, & ſi talis apponatur conditio, ſtatim actus invalidantur, & fiunt irriti. Sic v.g. eligo in Provincialem Titium, ſi à majore parte capituli electus fuerit, penitus hæc electio reprobatur. Sic neque valet matrimonium, quod ad certum uſque diem contractum eſt. Hæc regula fallit in con-

Digitized by Google

tractibus, ut ſunt emptio, venditio, qui non vitiantur per appoſitionem conditionis, atque diei, quia non habent à lege certam verborum formam, ſed ex voluntate hominum eorum forma pendet. Fallit etiam in cenſuris Eccleſiaſticis, quibus & conditio addi poteſt v. g. niſi parti læſæ tali tempore, vel die ſatisfeceris, ſcias te excommunicatum.

LI. *Semel Deo dicatum, non eſt adusus humanos ulterius transferendum.* Senſus. eſt: quod quæ ſemel ſunt Deo conſecrata, & ab eo accepta, non debeant applicari uſibus profanis. Deo dicatæ dicuntur ædes ſacræ, altaria, cæmeteria divino cultui conſecrata, quæ & idcirco humano commercio ſunt exempta. *cap.* 2. *de immunit. Eccleſ. in* 6. Adeo ut ne quidem ligna Eccleſiæ dirutæ, vel collapſæ in uſum laicorum transferri poſſint, ſed vel Eccleſiæ, ſive monaſterio applicanda, vel igne exurenda ſunt. *Can. ligna de Conſecrat. diſt.* 1. Comprehenduntur & ſub hac regula monaſteria, & hoſpitalia Epiſcopi authoritate erecta. *Can. quæ ſemel. cauſ.* 19. *q.* 3. Item *cap. ad hæc* 40 *de Relig. dom.* Pariter comprehenduntur calices, patenæ, veſtes, libri, aliaque inſtrumenta Eccleſiaſtica. *Can. Altaris cum* 4. *canonibus ſeqq. de conſec. diſt.* 1. Sic non licet ex veſte ſacra crumenam conficere pecuniariam. can. 42. ibidem. Fallit hæc regula 1. pro caſu neceſſitatis, qua laborat Eccleſia *can.* 2. *cauſ.* 10. *q.* 2. Fallit 2. pro caſu neceſſitatis proximi, ut tempore belli, peſtis &c. *can. Aurum cauſ.* 20. *q.* 2. Fallit 3. in iis, quæ invito domino Eccleſiæ obvenerunt. *Can.* 9. & 10. *diſt.* 54. *c.* 2. *de ſerv. non ordin.*

LII. *Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.* Per illa verba, *quod de jure non ſortitur effectum*: regula idem vult dicere, ac quod de jure nulliter, & invalide factum eſt, conſequenter omni juris caret effectu. *Non præſtat impedimentum*, id eſt, prorſus non impedit, quin alius actus valide fieri queat. Senſus proinde regulæ eſt: quidquid de jure nullum, & invalidum eſt, nullatenus impedit, quin alius actus valide, & licite fieri queat. Sic v. g. ſponſalia cum minore ſeptennio, adeoque nulliter contracta, non impediunt, quo minus poſtea cum matre prioris ſponſæ matrimonium inire valeat, niſi forſan prior ſponſa poſt ſeptennium adeptum in priora ſponſalia conſenſerit.

C. li-

C. literas 4. de deſpon. impub. Pariter ſponſalia ex defectu conſenſus nulla nullum præſtant impedimentum publicæ honeſtatis, ſicque non impediunt, quo minus quævis contrahentium pars cum conſanguinea alterius ſponſalia, & matrimonium valide, ac licite contrahere valeat. *Can. ſi verum. cauſ.* 31. *q.* 2. juncto *c. Acceſſit* 5. *de deſponſ. impub.* Item etſi liberum cuivis ſit ſuum revocare teſtamentum, tamen inchoatio ſecundi teſtamenti, quo teſtator primum revocare intendit, huic non obeſt, ſi antequam ſecundum perficiat, morte præveniatur. *§. Ex eo*, 7. *inſtit. quibus modis teſtament. infirm.* Nam imperfectum teſtamentum ſine dubio nullum eſt: conſequenter primum teſtamentum non infirmat. Fallit hæc regula in matrimonio rato: hoc quippe, etſi invalidum ſit (dummodo tale non ſit ex defectu conſenſus) parit impedimentum publicæ honeſtatis. Item fallit in procuratore, ſi novus conſtitutus eſt, tunc enim prioris procuratio eſt revocata, etſi poſterius conſtitutus munus hoc recuſaret. *C. non injuſte* 14 *de Procuratore.*

LIII. *Cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus.* Hujus regulæ explicatio habetur ſuperius in regula XXXV. explanata.

LIV. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Hæc regula non tantum pertinet ad collationes beneficiorum Eccleſiaſticorum, in quibus, cui prius collatum eſt, præfertur poſteriori, ut habetur *cap. Si tibi abſens de præbendis in* 6. Ad collegia, ut quo tempore quis in collegium receptus, eo ordine conſideat, & ſuam ſententiam dicat, ut habetur *cap.* 1. *de Majorit. & obed.* verum & ad hypothecas, pignora, ut prior tempore ſit & re, ac præſentia prior: licet poſterior ſpecialem, prior vero tantum generalem acцipiat, aut poſteriori inſuper pignus traditum, priori vero tantum hypotheca conſtituta ſit. Excipitur 1. niſi poſterior ad conſervandam vel reficiendam rem hypothecariam mutuo dederit, *L. interdum* 5. *ff. eod.* 2. niſi poſterior ad emendam aliquam rem hac conditione mutuam pecuniam dederit, ut eidem ſpecialiter maneat obligata. *L. licet* 7. *c. eod.* 3. Niſi habeat hypothecam publico inſtrumento erectam, prior vero tantum privatam, nec tribus teſtibus munitam cum ſua ſubſcriptione. *L. Scripturas* 11. *c. eod.*

eod. 4. Niſi poſterior eſſet cauſa ſpecialiter privilegiata. In his enim caſibus poſterior hypothecarius præfertur priori.

LV. *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & econtra.* Hæc regula bimembris eſt, vel potius duas in ſe regulas continet: prior eſt, *qui ſentit onus, ſentire debet commodum.* Altera: *qui ſentit commodum, ſentire debet onus.* Sic v.g. quia emptor rei venditæ etſi necdum traditæ, periculum, ac interitum ſuſtinere debet, de jure etiam percipit fructus, & commoda rei emptæ, nempe ex auctione pretii, alluvione, vel alia ratione provenientes *§. 3. Inſtit. de empt. & vendit.* Pariter quia Parochus onus, & labores habet in adminiſtrando Sacramenta, & alia divina Parochianis, ab eiſdem etiam de jure, & conſuetudine competentia commoda percipit, etiam in caſu, quo parochianus extra Parochiam ſepulturam eligit *c. 1. de ſepult.* Econtra quia Clerici non reſidentes non ſentiunt onus in ſerviendo Eccleſiæ, & peragendo divina, nec commoda, ſeu fructus beneficii percipere poſſunt, & ſi quos perceperint, reſtituere tenentur. *C. ad audientiam 15. de Cleric. non reſid.* Fallit hæc regula, quando ex propria inſtitutione, & ex natura rei, vel ex ſpeciali juris diſpoſitione alicui muneri, vel officio onus eſt annexum ſine commodo v.g. ſede vacante, ubi onus, labor, nempe juriſdictio Epiſcopalis, & adminiſtratio tranſit ad capitulum, & tamen fructus Epiſcopales interea currentes ad Capitulum non pertinent, ſed ſucceſſori reſervantur, vel in utilitatem Eccleſiæ impenduntur. *C. quia ſæpe 40. de elect. in 6.* Idem eſt in tutela, præſertim legitima, ubi fratres tenentur ſuſtinere onus tutelæ ſororis ſine commodo. *L. 1. in fin. ff. de legit. tutor.* Idem in mandato, quia mandatum gratuitum, & ſine mercede eſſe debet. *L. 1. §. 4. ff. Mandati.*

LVI. *In re communi potior eſt conditio prohibentis.* Senſus regulæ eſt, quando res, vel negotium, de quo agitur ad ſingulos diſtributive pertinet, ita, ut ſingulis ſeorſim, & in particulari conveniat: & de hujuſmodi re alienanda, immutanda, deſtruenda &c. inter dominos diſſenſio eſt, is, vel illi præferendi ſunt, atque ei, vel eis acquieſcendum, qui prohibent, vel contradicunt, diſſentiunt, aut ſe opponunt, etſi unicus tantum eſſet v.g. duo communem habent fundum, & unus domum in illo ædificare, vel

eundem omnino alienare vult: alter vero prohibet, diſſentit, ſeu contradicit: hic præfertur, eique acquieſcere oportet *arg. L. Sabinus 28. ff. de communi dividunt.* Pariter ſi Matrimonio jam conſummato unus velit vovere caſtitatem, & alter prohibeat, contradicat, hujus contradictio, & prohibitio prævalet. *c. Quidam 3. de converſ. conjug.* Item quia jus eligendi Prælatum ad omnes Capitulares etiam ut ſingulos pertinet, non poteſt electio per compromiſſum celebrari, vel extraneus ad ſuffragandum admitti, ſi vel unus tantum contradicat. *C. quia propter 24. de Elect.* Fallit hæc regula 1. in ſocietate, cum Socii non intereſt actum alterius poni, vel non poni, cum quivis merito pati debeat id, quod ſibi non nocet, & alteri prodeſt L. 1. §. 11. ff. de aqua, & aqu. pluv. arcend. Sic. v.g. Socio permittitur Scalam, quæ removeri poteſt, ad communem parietem facere quia alteri non nocet *L. fiſtulam 19. §. 2. ff. de ſervitut. præd. urban.* Fallit 2. cum prohibente uno alter re communi fruitur ad talem uſum, ad quem de ſe apta nata eſt, ut patet in ſepultura communi pluribus: licet unus contradicat, ne alter ibi ſepeliatur. *L. Si plures 41. ff. de Religioſ. & ſumpt. fun.*

LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.* Per *legem* hic præcipue intelliguntur pacta, conditiones, vel obligationes, quæ contractibus opponi ſolent, quia hæc in jure vocantur *leges*, ſcilicet privatæ *L. contractus 23. ff. de R. I.* Senſus ergo regulæ eſt: quando in Contractibus, ſeu aliis actibus, pacta, conditiones, vel aliæ obligationes quaſi leges ad alterum obligandum per verba obſcura, dubia, vel ambigua apponuntur, interpretatio facienda eſt contra eum, qui hujuſmodi leges appoſuit: quia ſic obſcure loquens, cum potuerit clarius loqui, præſumitur doloſe, & malitioſe ita loqui ad alios decipiendos. Sic v. g. promittit quis alteri ſolvere debitum die prima Auguſti: interpretari debet pro menſe proximo Auguſti contra promittentem, quia æquivoce eſt locutus de die prima Auguſti ſors poſt aliquos annos. Valet hoc potiſſimum in Civilibus, quia in Criminalibus obſcura locutio, & probatio in favorem rei habet valorem contra accuſatorem.

LVIII. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum Juramen-*

 ramen-

Digitized by Google

ramentum. Hoc eſt: juramentum, quod eſt contra aliquam legem, ſeu de re peccaminoſa etiam venialiter, eſt contra bonos mores, & ideo non obligat, cum juramentum non ſit vinculum iniquitatis: Sic v.g. non obligat juramentum factum de occidendo parentem: de pellenda è domo uxore cum liberis &c. Fallit hæc regula in alienatione fundi dotalis, ſolutione uſurarum &c. ubi juramento ſtandum, quamvis poſtea repetitioni locus ſit. *C. licet de jur. jur. in* 6.

LIX. *Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem.* Hoc eſt: Dolo, ſeu malitioſe facit, qui rem petit, quam non poteſt retinere, ſed tenetur reſtituere utpote poſſeſſor malæ fidei. Sic v. g. uſurarius doloſe agit petendo à debitore mutuatario ſolutionem uſurarum, quas non poteſt petere, imo habitas jam tenetur reſtituere, & cogi poteſt ad eas reſtituendas. *Can. nullus. Cauſ.* 14. *q.* 4. Fallit hæc regula in poſſeſſoriis, in quibus ſpoliatus, rem, qua ſpoliatus eſt, petere poteſt, etſi ſtatim ſpoliatori proprietario ſpolium reddere debeat. Fallit 2. in eo caſu, quo peto id, quod alii, non eidem à quo peto, reſtituere debeo: Sic Comodatarius rem repetit à fure, quamvis domino eandem reſtituere debeat: Item vir à ſocero dotem petit, etſi eam uxori & liberis ejus reſtituere debeat.

LX. *Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.* Senſus eſt: Differens aliquid facere, vel præſtare, ſi habeat legitimam exceptionem, ſeu juſtam cauſam in jure divino, naturali, aut humano directe, vel indirecte fundatam, non eſt in mora culpabili, nec ſubjacet pænis, quas talis mora poſt ſe trahit, nempe reſarciendi damna, & incommoda ex tali mora ſecuta: cum per exceptionem elidere poſſit obligationem agendi, vel non faciendi. Sic exceptio legitima eſt pacti de non petendo, doli mali, metus, jurisjurandi &c. de quibus in titulo ff. de Exceptionibus. Item ſi quis valetudine, tempeſtate, ignorantia facti alieni, vi fulminis, vel alias juſte impeditus fuerit: hæc enim à mora excuſant.

LXI. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* Hæc regula procedit in privilegiis, quæ prodeſſe, non obeſſe privilegiatis debent. Et ſenſus regulæ eſt: quod alicui conceditur ut gratia, & favor pro commodo, ac utilita-

ſitate, non debet ei eſſe oneri, incommodo, vel præjudicio. Sic quia in favorem Minorum ſtatutum eſt, quod non poſſint ſtare in judicio ſine authoritate Tutoris adeo, ut ſi nihilominus ſine tutoris authoritate litigent, & contra ipſos feratur ſententia, hæc de jure nulla ſit: attamen ſi ſententia in favorem Minorum litigantium ſine authoritate tutoris fertur, valida exiſtit. *L. Non eo minus* 14. *C. de Procurat.* Fallit hæc regula in gratiis, quæ non motu proprio, ſed ad inſtantiam petentis ſunt conceſſæ *C. cum omnes* 6. *de conſtit.*

LXII. *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Senſus regulæ eſt: Qui alteri ſive petenti, ſive non petenti conſilium bona fide præbet, nullatenus tenetur ad reparanda damna, vel ſuſtinenda incommoda, quæ ex tali conſilio præter intentionem ſequuntur: in hoc enim conſilium diſtinguitur à mandato, quod mandatum ſit cauſa moralis operis poſiti: Conſilium autem ad ſui ſequelam non obligat. *L.* 2. *ff. Mandati* §. 6. ibi. *Nemo ex Conſilio obligatur &c.* Procedit hæc regula etiam in caſu, quò Conſilium bona fide datum in damnum tertii redundat: v. g. ſuadet quis juſte alicui, ut adeat hæreditatem, qua ſuaſione non facta hæres aliquis tertius factus fuiſſet. Item dat quis juſtum Conſilium, ut inſtituat actionem de recuperando prædio ſibi debito, quod alias retinuiſſet injuſtus detentor. Si autem Conſilium non bona ſed mala fide, dolo, fraude, vel malitia quis præbet, tenetur ad reparanda damna, etſi non ratione conſilii dati, cum illud ſequi nemo teneatur, bene tamen ratione fraudis *C. ſedes* 15. *& C. ex tenore* 16. *de Reſcriptis* ibi. *quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent.* Unde ſi conſilium fraudulentum quis dedit circa contractum, vel quaſi contractum v. g. emptionem, venditionem &c. talis damnum reparare tenetur, quod inde ſecutum eſt, illi, cui tale conſilium doloſum dedit. Si vero conſilium quis dedit ad maleficium, ſeu delictum, vel quaſi tale v. g. ad perpetrandum homicidium, furtum, adulterium, diffamandum &c. damnum inde ſecutum non illi, cui delictum ſuaſit, ſed tertio reparare debet: idque non ex actione doli mali, ſed actione maleficii, aut delicti quod ſuaſit v. g. ſi furtum ſuaſit, actione furti tenetur *L. Si quis* 52. §. 21. *ff. de Furtis.* Si adulterium ſuaſit, tenetur lege Julia de adulterio *L. Hæc verba legis*

gis 12. *ff. ad leg. Jul. de adult. coercend.* Hæc regula fallit in Medicis, Advocatis, Aſſeſſoribus, & aliis, qui ex officio conſilium dare debent, hi enim non tantum ex fraude, vel dolo, ſed etiam ex imperitia tenentur, ſi eorum conſilia malum habeant exitum; Cum tales imperiti conſilium damnoſum ſubminiſtrantes culpam latam committant, quæ culpa lata in jure æquiparatur dolo. *L.* 1. *ſſ. ff Si Menſor falſum modum dixerit.* ibi. *lata culpa plane dolo comparabitur.*

LXIII. *Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adverſarii confiteri.* Senſus eſt: Reus objiciens exceptionem, non confitetur quidquam de mente actoris, ſed ejus intentionem potius infringit. v. g. accuſatus de homicidio patrato poteſt excipere dicendo, ſi occidi, feci cum moderamine inculpatæ tutelæ, & tunc non fatetur ſecundum intentionem Actoris. Unde reus nunquam exceptionem puram facere debet, ne ſibi onus, probandi arceſſat: ſed potius factum negare, aut conditionaliter exceptionem objicere debet: v. g. petenti à me pecuniam, quam non accepi, non debeo reſpondere: jam ſolvi, vel adeſt pactum de non ſolvendo: ſed reſpondere oportet: nego me tibi debere: vel ſi debui, ſolvi tibi: ſic enim onus probandi adverſario relinquitur.

LXIV. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Procedit hæc regula de iis tantū, quæ contra leges irritantes, vel formam ſubſtantialem actibus quibusdam v. g. teſtamentis præſcribentes fiunt: non vero de iis, quæ contra leges ſimpliciter tantum prohibentes fiunt: nam *multa fieri prohibentur, quæ, ſi fuerint facta, roboris obtinent firmitatem. Cap. ad Apoſtolicam* 16. *de Regular.* ut vel in matrimoniis cum impedimento impediente contractis apparet.

LXV. *In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis.* Senſus regulæ eſt: quando duo in eodem delicto rei ſunt v. g. ſi onus ex delicto dat, & alter ex delicto accipit, melior eſt conditio poſſidentis, nempe accipientis, ita ut reſtituere amplius non teneatur: v. g. Titius dat Cajo judici 100. florenos, ut ferat injuſtam ſententiam, Titius à Cajo judice 100. florenos datos repetere amplius nequit, & Cajus Judex in poſſeſſione acceptorum 100. florenorum, adeoque melioris conditionis aſt. *arg. can. Non ſane* 15. *cauſ.* 14. *q.* 5. Item *L.* 3. *ff. de condict. ob turp. cauſ.* Pariter qui ob fornicationem

mere-

meretrici dat pecuniam, eam repetere nequit. *L. 4. pr. ff. eod.* & *ſ.* 3 Hæc regula etiam extenditur ad illos, qui parem cauſam habent absque delicto: v. g. ſi duo eandem rem bona fide emunt, ille cui res eſt tradita, prævalet. Item ſi duobus eadem res obligatur neſciendo, cui prius, melior eſt conditio poſſidentis rem. Item ſi in judicio utriusque partis teſtes ſunt pares, præferuntur teſtes poſſeſſoris. *C. ex literis* 3. *ſ. Quodſi de probat.* Fallit hæc regula 1. in Simonia reali, ubi poſſeſſor tenetur reſtituere *arg. cap.* 11. *de Simon.* Fallit 2. in Lenocinio, quo vir uxorem proſtituens dotem perdit. *L. cum mulier.* 47. *ff. ſoluto Matrim.*

LXVI. *Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.* v. g. legavit quis 100. florenos Monaſterio ſub conditione, ut in illius Monaſterii Eccleſia ſepeliatur: talis moritur excommunicatus, adeoque in illa Eccleſia ſepeliri non poteſt, nihilominus hi 100. floreni dandi ſunt Monaſterio, quia per Religioſos talis Monaſterii non ſtetit, quod ſepeliri non potuerit ibidem. Major hujus regulæ explicatio habetur ex regula XLI. explanata.

LXVII. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.* Senſus hujus regulæ eſt: Quod quis prohibente jure Divino, naturali, aut humano licite facere non poteſt ſuo nomine, id nec alieno nomine, id eſt, nec per alium pro ſe, nec in propria perſona pro alio licite facere poterit. Sic v. g. quia non licet mihi nomine meo, & in propria perſona innocentem occidere, furtum, aut uſuram committere, ita neque alieno nomine, id eſt, nec per alium pro me, nec pro alio committere licebit. Item Clerico non licet proprio nomine exercere fœnus, ita nec eidem licebit nomine alieno. Fallit hæc regula, quando ratio prohibitionis in mea perſona exiſtens ceſſat, ſeu non reperitur in aliena perſona v. g. etſi mihi non liceat contrahere cum mea conſanguinea matrimonium, poſſum tamen cum ea nomine alieno, ſeu pro alio, qui conſanguineus, vel affinis non eſt, ut procurator ipſius contrahere. *C. ex parte* 14. *de reſtit. Spoliat.* Et *C. fin. de Procurat. in* 6.

LXVIII. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum.* Senſus hujus regulæ eſt: qui aliquid v. g. contractum, actum, negotium, cauſam &c. per ſe ipſum valide, & licite facere, vel tracta-

re poteſt, id ipſum etiam valet per alium ad hoc idoneum, & debite qualificatum valide, & licite facere. Sic uti per me ipſum emere, vendere, locare, litigare, acceptare beneficium &c. poſſum, ita idem poſſum facere per alium. Dicitur in hac regula: per *alium* intellige, idoneum, & qualificatum, nempe neceſſaria ſcientia, poteſtate præditum: hinc licet Epiſcopus per ſe, aut per alium Epiſcopum ſuum ſubditum ordinare poſſit, non tamen id poteſt per ſimplicem Sacerdotem, cum hic ad id non ſit idoneus, utpote carens poteſtate ordinandi. Fallit hæc regula in actibus, qui factum perſonale proprium requirunt, ut eſt v.g. reſidentia Epiſcoporum, recitatio officii Divini, accuſatio ſuorum peccatorum ſacramentalis, præſentia in choro ad diſtributiones obtinendas, pænitentia peragenda, confectio teſtamenti, & hæredis inſtitutio ad cauſas profanas, adoptio, arrogatio &c. Fallit etiam tunc, quando inter partes ſpecialiter conventum eſt, ut non per alium, ſed per ſe ipſum res fiat.

LXIX. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.* Senſus eſt: peccaminoſa promiſſa, quæ ſine peccato impleri nequeunt v.g. furtum, adulterium &c. non eſſe obſervanda: quia *iniqua eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur can. in malis. cauſ. 22. q. 4.* quare ex ejuſmodi promiſſione nulla naſcitur obligatio, nec quidem ſi juramentum acceſſerit: imo mala promiſſa in jure inter impoſſibilia recenſentur *in L. Filius* 15. *ff. de condit. inſtit.* Unde verbum *expedit* in hac regula ad neceſſitatem trahendum eſt. Dicitur autem *in malis promiſſis*, non enim negat regula fidem ſervandam in illis, quæ male quidem promiſſa ſunt, per dolum v. g. aut metum, extorta, quæ tamen ſine diſpendio ſalutis ſervari poſſunt maxime, ſi juramentum acceſſerit: cum aliud ſit malum promiſſum eſſe, quod ſimpliciter obſervari non poteſt: & aliud ſit male promiſſum quid eſſe, cujus tamen obſervatio culpabilis non eſt.

LXX. *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.* Per ly *alternativa* ſignificantur *disjunctiva*, ſuntque illa, quæ cum disjunctione *vel*, *aut*, aliave ſimili particula proferuntur, & opponuntur *copulativis*, quæ particula *Et*, *Ac*, *Atque* & ſimili exprimuntur. Senſus ergo regulæ eſt: quando in contractibus, ultimis voluntatibus, vel aliis diſpoſitionibus plura alternative, ſeu disjunctive adimplenda, vel præſtanda continentur,

in

in libero arbitrio debitoris, ſeu illius eſt, qui adimplere, ſeu præſtare debet, quid ex illis præſtare velit: & ſufficit, ſi unum ex illis faciat, aut præſtet. Sic v.g. promittit quis alicui dare pecuniam vel frumentum: in promittentis tanquam debitoris arbitrio eſt, utrum pecuniam, vel frumentum dare velit, & ſatisfacit dando unum ex his pro ſuo libitu. Pariter teſtator legat alicui pecuniam vel domum: liberum erit teſtari tanquam debitori, aut ejus hæredi, utrum ex his dare velit. Fallit hæc regula 1. in alternativis remediorum, ſeu actionum judicialium, ubi actoris eſt electio, quali actione experiri, & debitum extorquere velit *L. 2. §. 3. ff. de eo, quod certo loco.* Fallit 2. in alternativis pœnarum à jure ſtatutarum, ubi judicis eſt electio. *Cap. fin. ut lite non conteſt.* Fallit 3. in alternativis gratiarum à Principe factarum, ubi recipientis tanquam creditoris, non Principis tanquam debitoris, eſt electio *C. cum Dilecti 6. in fine de donat.* Fallit 4. in alternativis locorum, ubi creditor eligit locum, in quo ſolutio facienda ſibi eſt *L. 2. §. 3. ff. de eo, quod certo loco.*

LXXI. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multo magis admittendus.* Senſus eſt: qui poteſt in judicio agere, multo magis poteſt exceptionem facere. Sic quia ſponſus ob fornicationem ſponſæ poteſt inſtituere actionem, ut à ſponſa divertere poſſet, multo magis poterit excipere, ne eam recipere cogatur. Pariter maritus reſpectu uxoris adulteræ. Fallit hæc regula 1. in ſpoliatione etiam à domino (niſi in flagranti) facta, quia ſpoliatus ante omnia eſt reſtituendus *c. 1. & 2. de reſtit. ſpoliat.* Fallit 2. in depoſito, in quo depoſitarius, licet illi actio ad rem depoſitam competat, deponenti exceptionem opponere non poteſt. *C. fin. de depoſit.* Et *L. 11. cod. depoſiti.*

LXXII. *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.* Verificatur regula per fictionem juris, videlicet quando actus efficiendus eſt talis naturæ, ut ejus executio in alium transferri poſſit v.g. ſolutio debiti facta creditori à debitore per tertiam perſonam, habet ſe ex fictione juris, ac ſi facta fuiſſet ab ipſo debitore, cum talis actus ſit transferibilis in alium. Secus dicendum, ſi talis actus in alium transferri nequit, v.g. contritio unius ut juſtificativa non transfertur in alium. Univerſaliter hæc regu-

Digitized by Google

la non verificatur in actibus perſonalibus. Videatur regula explanata LXVIII.

LXXIII. *Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, à quo non potuit incboari.* Hæc regula procedit in actibus natura perpetuis, matrimonio, profeſſione Religioſa, beneficio. Et ſenſus regulæ eſt: quod debeant permanere in ſuo robore actus facti juxta leges, etiamſi poſtea aliquid ſuperveniat, quod ſi antea, vel ab initio accidiſſet, eorum validitatem impediviſſet. Sic v.g. non dirimitur matrimonium legitime contractum per ſuperveniens impedimentum dirimens affinitatis &c. Intelligitur autem hæc regula, niſi effectus ejus, quod legitime factum eſt, ad impoſſibile redigatur, ſic ſponſalia licet legitime ſint contracta, diſſolvuntur tamen per ſubſequens cum alia matrimonium, quia ſponſalia in eum caſum deveniunt, quo effectum ſortiri nequeunt. Fallit hæc regula in iis, quæ cauſam ſucceſſivam habent, ut v. g. diſpenſatio ob imbecillitatem, qua ceſſante, illa ceſſat.

LXXIV. *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* Hæc regula concordat cum regula VII. XXVIII. ſuperius explanata.

LXXV. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.* Senſus regulæ eſt: quod leges privatæ, quales ſunt contractus, etſi abſolutiſſimis verbis exprimantur, conditionate tamen obligent inter ſe contrahentes, ita ut ab uno fracto contractu, vel non ſervata illius conditione, alter neque ex pacto illi ſervare fidem teneatur, etſi fides addicta jure jurando ſit addicta: quilibet enim contractus hanc tacitam involvit conditionem: ſtabo contractu, modo alter fidem à ſe promiſſam ſervaverit: Et procedit regula, etſi cauſa, vel neceſſitate impeditus quis non ſervet fidem. *L. Ex conducto* 15. §. 6. *ff. locati.* Hinc in tranſactionibus, ſi quis cum aliquo tranſegerit ſub conditione v. g. aliquid dandi elapſo anno; ſi tranſactarius non ſolvat elapſo tempore præfixo, poteſt tranſactor elapſo tempore recedere à tranſactione, & litem fidem frangenti movere. Fallit hæc regula in contractu cum pupillo ſine authoritate tutoris inito *L. Julianus* 13. §. 29. *ff. de action. empt.* hunc enim contractum pro libitu frangere poteſt pupillus, alter vero eundem ſervare tenetur:

Digitized by Google

& hoc in favorem ætatis pupillaris a jure ſpecialiter ſancitum eſt: quod cum emens à pupillo ſcire potuerit, & debuerit, ſibi imputare debet, quod cum illo ſine authoritate tutoris contraxerit.

LXXVI. *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.* Senſus regulæ eſt: ob unius membri, etiam capitis, delictum cujuſcunque ſtatus ſive Eccleſiaſtici, ſive ſæcularis, non debet gravari Eccleſia, neque communitas: adeoque non tenetur Eccleſia, aut communitas damna exinde illata, vel ſecuta reſarcire, aut pænam aliquam ſubire, nec damnum ſibi illatum ſuſtinere: quia delicta ſuos debent tenere authores. *C. Quæſivit.* 2, *de his, quæ à majori parte capit.* juncta *L. Sancimus.* 22. *c. de pænis.* Hinc res Eccleſiæ cujuſdam Epiſcopi ex delicto depoſiti Eccleſiæ redditæ fuerunt, ut habetur *Can. Si Epiſcopum.* 3. *cauſ.* 16. *q.* 6. Hinc damnum per Abbatem, Generalem, Provincialem, Priorem, vel ſubditum alteri cauſatum, non debet à Monaſterio reſarciri: v. g. non tenetur Monaſterium de depoſito, quod ſuperior ſuſcepit cuſtodiendum, ſi pereat, vel deterius fiat: niſi depoſitum verſum ſit in utilitatem Monaſterii, vel ex eo factum ſit locupletius. Hæc regula etiam extenditur ad Procuratorem producentem falſũ inſtrumentum, ac ſi eſſet ab ipſo Superiore confectum. *C. Cum venerabilis* 6. *§. ad hæc. de Except.* Fallit hæc regula in delictis omiſſionis à Superiore, vel aliis perſonis factis, hæc ſiquidem etiam Eccleſiæ præjudicant *arg. can. Placuit* 15. *cauſ.* 16. *q.* 3. Item *c.* 1. *& ſeqq. de Præſcript.* Hinc delictum Prælati omittentis repetere rem Eccleſiaſticam, nocet Eccleſiæ eatenus, quatenus contra eundem debito tempore currit præſcriptio. Fallit etiam, quando Prælatus delinquit cum conſenſu capituli, & communicato Concilio *arg. C. cum Dilectus* 2. *de ordin. cognit.*

LXXVII. *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.* Senſus regulæ eſt: quicunque alicui ſuccedit in dignitate, vel alio munere honorifico, eidem etiam ſuccedit in onere, ſeu obligationibus annexis, eaſque uti Anteceſſor adimplere, & præſtare tenetur. Sic Prælatus, qui ſuccedit in honore, ſuccedit etiam in onere ſolvendorum debitorum, à Prælato anteceſſore in utilitatem Eccleſiæ, & communitatis contractorum. Excipitur, niſi onus, vel conditio oneroſa adhæreat perſonæ anteceſſoris, nam

 tunc

tunc ſuccedens in honore, non etiam ſuccedit in tali onere. *arg. L. Legatum. 24. ff. de Adimend. legat.*

LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.* Senſus regulæ eſt: in iis, quæ propter neceſſitatem aliquando permittuntur, aut conceduntur, non eſſe formandam conſequentiam: ſed potius quod pro neceſſitate temporis ſtatutum eſt, ceſſante neceſſitate relinquendum *Can. quod pro* 41. *cauſ.* 1. *q.* 1. Sic matrimonium in 3. & 4. gradu hoc tempore prohibitum eſt *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 3. 4. *&* 5. olim paſſim licuit, quia perſonarum minor erat numerus. Idem conſtat de polygamia. Concordat hæc regula cum regula XXVIII. & LXXIV.

LXXIV. *Nemo poteſt plus juris in alterum transferre, quam ſibi ipſi competere dignoſçatur.* Hoc eſt: ſicut nemo poteſt dare, quod non habet, ſic nec plus de jure poteſt dare alteri, quam ipſe habet: & ideo vendendo rem non meam, licet bona fide poſſeſſam, emptorem non efficio dominum rei, cum nec ipſe dominium habeat.

LXXX. *In toto partem non eſt dubium contineri.* Concordat cum regula XXXV. explanata. Dicunt juriſtæ: licet alicui omne aurum, & argentum legetur, tamen nummi, & pecuniæ ex auro, & argento cuſæ non cenſentur legatæ, cum tamen videantur ſpecies, & pars illius. *L. Cum aurum* 19. *pr. ff. de auro & argento legato.* adeoque pars non ſemper continetur in toto. ℞. pecuniam, & nummos cuſos non eſſe ſpecies, & partes auri, vel argenti maſſivi, cum hoc nomine in jure ordinarie non veniant. *L. Quintus.* 27. *§.* 1. *ff. eod.* Excipitur, niſi aliud aurum, vel argentum non haberet teſtator, quam pecuniam, & nummos. *arg. L. Pediculis.* 32. *§.* 4. *ff eod.* Pariter ſi quis pro pignore dedit ſylvam, navis ex arboribus ſylvæ fabricata non cenſetur oppignorata: ubi tamen arbores ſunt pars ſylvæ. *L. ſi convenerit.* 18. *§.* 3. *ff. de Pignor. actione.* ℞. quando materia tranſit in materiatam, id eſt, ſi ex rudi materia fiat artificioſa, uti ex rudibus arboribus fabricata eſt navis, aſſumit novam ſpeciem, adeoque nec eadem cum rudi materia ſpecies, nec pars illius amplius eſſe cenſetur.

LXXXI. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non*

eſſet

eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. Senſus regulæ eſt: quando aliqua in genere conceduntur, non intelliguntur conceſſa etiam illa, quæ quidem tanquam ſpecies ſub tali genere alias comprehenduntur, tamen talia ſunt, de quibus veriſimile eſt, (cum ſint res arduæ, & ſpeciale præjudicium afferentes) quod ea in ſpecie concedere nullatenus intenderit generaliter concedens: quia ea, quæ ſpeciali nota ſunt digna, ſi ſpecialiter non notantur, ex induſtria cenſentur omiſſa L. Item apud 15. §. 27. ff. de Injur. Sic v. g. in generali conceſſione adminiſtrationis bonorum non comprehenditur facultas donandi, alienandi res pretioſas *cap. fin. de offic. Vicar. in* 6. Pariter ſub generali poteſtate legati etiam à latere non comprehenditur translatio Epiſcoporum *C. Quod. translationem* 4. *de off. leg. &c.*

LXXXII. *Qui contra jus mercatur, bonam fidem præſumitur non habere. Contra jus mercari* cenſetur omnis ille, qui contra præſcriptum legis ſive divinæ, ſive humanæ, ſive Canonicæ, ſive Civilis, ejuſque prohibitionem procedit, & agit, ſive in emptione, ſive in venditione, ſive in præſcriptione, &c. & cenſetur mala fide procedere. Sic contrahens cum pupillo ſine authoritate tutoris, quod à lege prohibetur, etiamſi adſit ignorantia, non poteſt præſcribere contra pupillum, quia mala fides præſumitur, & ignorantia juris non excuſat: ſecus foret, ſi haberet taliter contrahens ignorantiam facti, putans eum eſſe puberem. L. Pro emptore 2. §. 15. Pro emptore.

LXXXIII. *Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.* Senſus regulæ eſt: Creditor, qui ſolutionem debiti jam ſemel petiit, & obtinuit, eam ulterius petere, ſeu exigere bona fide, ſeu bona conſcientia non poteſt. Fallit hæc regula, quando una exactione, & præſtatione debiti non extinguitur ulterior obligatio ejuſdem, uti v. g. patet in exactione tributorum, vectigalium certis temporibus, vel toties, quoties currus onerati tranſeunt, perſolvendorum. Fallit etiam in cauſa dotis, hanc enim ſemel acceptam, ſecundo nubens filia denuo exigere poteſt, ſi prima vice vi pacti ad patrem rediit. *Authent. ſed quamvis. C. de Rei uxor. act.*

LXXXIV. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.* Senſus regulæ eſt: quando aliquid abſolute, uni-

verſaliter, & manente cauſa perpetua prohibetur, ſimiliter omnis via, & omne id, per quod immediate pervenitur ad illud, prohibetur. Sic Pater non poteſt adminiſtrare bona à Matre filiis relicta, ſi ipſa in teſtamento prohibeat, ne Pater tanquam Pater adminiſtret, volens filios eſſe emancipatos, nec ut Curator ea adminiſtrare valet. *L. ſcire oportet* 21. *§.* 1. *ff. de Tutor. & Curat. datis.* Pariter quia Prælatus electus adminiſtrationi ſe ingerere nequit ante confirmationem *C. Noſti.* 9. *de Elect.* nec ſub titulo œconomi, vel procuratoris res adminiſtrare valet. *C. Avaritiæ.* 5. *de Elect. in* 6. Item prohibitus rem aliquam alienare, etiam prohibetur in pignus obligare. Fallit hæc regula tunc, quando aliquid eſt prohibitum non ſimpliciter & ratione ſui, ſed quoad certam viam duntaxat, vel modum acquirendi prohibitum, quia per aliam viam, & modum pervenire ad illud licite, & valide quis poteſt. Sic licet Epiſcopus jam alligatus alicui Eccleſiæ prohibeatur aliam Eccleſiam aſſumere via electionis, non tamen prohibetur via poſtulationis. *C. fin. de poſtulat. Prælat.* Pariter licet prohibitum ſit, ne Clerici illegitime nati ad prælaturas eligantur, tamen via poſtulationis ad eandem pervenire poſſunt. *C. Innotuit* 20. *de Elect.*

LXXXV. *Contractus ex Conventione legem accipere dignoſcuntur.* Senſus regulæ eſt: Contractus determinatam formam ſortiuntur ex partium contrahentium pacto, & voluntate. Unde qualiter, quo modo, quo tempore, quo loco, quibus ſub conditionibus Contractus aliquis obliget, dependet ex ſpeciali contrahentium pacto, ſeu conventione, qua legem mutuo obligantem ſibimet imponunt. Sic eſto Depoſitarius ex legibus de dolo, & culpa lata tantum teneatur, ſi tamen partes conveniant, poteſt obligari etiam ex levi, & leviſſima culpa: imo etiam de caſu fortuito. Fallit hæc regula, quando Conventio contrahentium fit contra formam ſubſtantialem, ſeu eſſentialem Contractus à jure præſcriptam, ſeu ſi eſt contra jus commune, & publicum. *arg. L. leges* 7. *C. de leg. & conſtit. Princ.* Item *L. Jus publicum* 38. *ff. de Pactis.* Ideo regula debet intelligi de conventione circa accidentalia: Sic quia de eſſentia cujusvis contractus eſt conſenſus, quævis conventio irrita habetur, ubi verus deeſt conſenſus. Fallit etiam hæc regula, ſi conven-

ventio contrahentium eſt turpis, vel re de turpi, inhoneſta, aut impoſſibili de jure, vel de facto. C. fin. de Pactis.

LXXXVI. *Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet non aliis imputare.* Senſus regulæ eſt: Damnum vel jacturam lucri, quam quis ſentit ex ſua culpa vel cauſa, quam ipſemet libere præbuit, ſibi & non aliis imputare debet: Sic ſi Procurator indebitum ſolvit, ſibi non domino damnum imputare debet. *L. ſi quis* 23. *ff. de Negot. geſtis.* Pariter qui abſque inventario hæreditatem adit, indeque damnum ſentit, ſibi ſuæque improvidentiæ, non aliis imputare debet. *L. fin. C. de jure deliberandi.* Item Clericus, cui primo vocatura Præbenda per ſedem Apoſtolicam fuit conceſſa, ſi eam, quæ primo vaccat, petere negligit, ſibi imputare debet, quod carentiam totius gratiæ incurrat *C. ſi Clericus* 11. *de Præbend. in* 6.

LXXXVII. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Infamia eſt duplex: *juris*, & *facti*. Infamia juris eſt, quæ ex diſpoſitione ipſius juris contrahitur ob certa delicta, idque vel ſtatim ipſo facto, vel per ſententiam judicis: & hac infamia inquinati dicuntur infames infamia juris, vel infames de jure: qui de jure Civili infames ſunt, etiam infames de jure Canonico habentur *Can. Omnes.* 2. *cauſ.* 6. *q.* 1. niſi infamia per jus Civile introducta à jure Canonico ſit ſublata, ut factum eſt circa ſecundo nubentes intra annum luctus. *C. penult. & ult. de ſecund. Nupt.* Infamia facti eſt, quæ non quidem ex juris diſpoſitione, ſed ex talibus factis, & delictis contrahitur, propter quæ bona opinio, atque exiſtimatio apud probos, & honeſtos viros gravatur: & hac infamia notati vocantur infames infamia facti: debent autem ad hanc infamiam concurrere vera facta, delicta, non putatitia, conjecturalia, & quæ ſæpius à malevolis, & paſſionatis perſonis affinguntur. Jam ex hoc facile eruitur ſenſus regulæ. Solum advertendum quod infamia ſolius facti, quæ emendatione aboletur, etiam ab obtinendis dignitatibus, ac honoribus non impediat. Nec obſtat *§. fin. inſtit. de except.* Infames ad munus Procuratoris admitti. Non inquam obſtat, quia munus Procuratoris, niſi Principis ſit, inter dignitates non computatur, ſed de jure inter vilia munera reputatur *arg. L. ſi quis* 34. *C. de Decurionib.* dicitur *de jure*: quia de conſuetudine hodierna, quæ juri humano prævalet *C. fin. de conſuet.* munus Procuratorum fere æque

honorificum habetur, quam Advocatorum, & perſonas infamia notatas non recipit.

LXXXVIII. *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Senſus regulæ eſt: Contra legem delinquit, verusque transgreſſor legis habetur, qui voluntatem, mentem, ſeu intentionem legis, ſive potius legislatoris ſufficienter perſpectam habens, contra ejus mentem fraudulenter interpretatur, & obſervat legem. Sic ſi prohibitum ſit, ne evehatur frumentum è Provincia, evehens farinam utique contra legem facit, vel in fraudem legis. Item Uſurarius non quidem in pecunia, ſed in re alia uſuras accipiens, in legem peccat.

Quæritur: quomodo differant à Regulis juris proverbia? ℞. in hoc: quia non ex jure, ſed ex conſuetudine, communique hominum opinione fidem & aſſenſum meruerunt proverbia: & ideo vim regulæ juridicæ non obtinent, licet ad cauſarum deciſionem allegari non prohibeantur; quemadmodum ipſimet Jurium conditores allegare conſueverunt, ut conſtat *ex cap. Etſi Judæos* 13. *de Judæis:* Ubi Innocentius III. de Judæis ad hoſpitium noſtrum receptis aſſerit: *Eam ab illis retributionem impendi, quam (juxta vulgare proverbium) mus in pera, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere.* Aliiſque pluribus locis.

Abbreviaturæ Titulorum.
IN
JURE CANONICO.
Primi Libri Decretalium Gregorii IX. Tituli XLIII.

I. De ſum. Trin. & fid. ca. *lege* de ſumma Trinitate, & fide Catholica.

II. De Conſtit. *lege* de Conſtitutionibus.

III. De Reſcript. *lege* de Reſcriptis.

IV. De Conſue. *lege* de Conſuetudine.

V. De poſtula. Præ. *lege* de poſtulatione Prælatorum.

VI. De Ele. & ele. po. *lege* de Electione, & electi poteſtate.

VII.

VII. De Tranſla. Epi. *lege* De Tranſlatione Epiſcopi.
VIII. De Aut. & uſu pal. *lege* De Authoritate, & uſu palii.
IX. De Renunc. *lege* De Renunciatione.
X. De ſup. neg. Præ. *lege* De ſupplenda negligentia Prælatorũ.
XI. De Temp. Ordi. & qual. ordin. *lege* De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.
XII. De ſcru. in or. fa. *lege* De Scrutinio in Ordine faciendo.
XIII. De ordi. ab Epi. qui re. *lege* De ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui.
XIV. De Æta. & quali. & ord. præſ. *lege* De Ætate, qualitate & ordine præficiendorum.
XV. De Sa. unc. *lege* De Sacra Unctione.
XVI. De Sa. non ite. *lege* De Sacramentis non iterandis.
XVII. De Fil. presby. ord. vel non. *lege* De Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.
XVIII. De ſer. non ordi. & eor. Manum. *lege* De ſervis non ordinandis, & eorum Manumiſſione.
XIX. De ob. ad Rati. ord. vel non. *lege* De obligatis ad Ratiocinia ordinandis, vel non.
XX De corp. viti. ord. vel non. *lege* De corpore vitiatis ordinandis, vel non.
XXI. De Biga non ordi. *lege* De Bigamis non ordinandis.
XXII. De Cle pe. *lege* De Clericis Peregrinis.
XXIII. De off. Arch. *lege* De officio Archidiaconi.
XXIV. De off. Archipre. *lege* De officio Archipresbyteri.
XXV. De off. Pri. *lege* De officio Primicery.
XXVI. De off. Sa. *lege* De officio Sacriſtæ.
XXVII. De off. Cuſ. *lege* De officio Cuſtodis.
XXVIII. De off. Vic. *lege* De officio Vicarii.
XXIX. De off. & po. Jud. del. *lege* De officio, & poteſtate Judicis delegati.
XXX. De Off. le. *lege* De officio Legati.
XXXI. De off. Jud. or. *lege* De officio Judicis Ordinarii.
XXXII. De off. Jud. *lege* De officio Judicis.
XXXIII. De Maj. & obe. *lege* De Majoritate, & Obedientia.
XXXIV. De Trev. & pa. *lege* De Trevga, & Pace.
XXXV. De Pac. *lege* De Pactis.
XXXVI. De Tranſac. *lege* De Tranſactionibus.
XXXVII. De Poſtul. *lege* De Poſtulando.
XXXVIII. De Procur. *lege* De Procuratoribus.

XXXIX.

XXXIX. De Syndi. *lege* De Syndico.

XL. De his, quæ vi. me cau. fi. *lege* De his, quæ vi, metusve cauſa fiunt.

XLI. De in integr.re.*lege*De in integrum Reſtitutione.

XLII. De Alien. ju. mu. cau. fac. *lege* De Alienatione judicii mutandi cauſa facta.

XLIII. De Arb. *lege* De Arbitris.

Secundi Libri Decretalium Gregorii IX.

Tituli XXX.

I. De Judi. *lege*: De Judiciis.

II. De fo. compe. *lege*: De Foro competente.

III. De Li. ob. *lege*: De Libelli oblatione.

IV. De Mu. pe. *lege*: De Mutuis Petitionibus.

V. De Li. Contes. *lege*: De Litis Conteſtatione.

VI. Ut li. non contes. non proce. ad Teſti. rec. vel ad ſent. def. *lege*: Ut lite non conteſtata non procedatur ad Teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitivam.

VII. De Ju. calum. *lege*: De Juramento Calumniæ.

VIII. De Dila. *lege*: De Dilationibus.

IX. De Fer. *lege*: De Feriis.

X. De Or. Cog. *lege*: De Ordine cognitionum.

XI. De Plus peti. *lege*: De Plus Petitionibus.

XII. De Cau. poſ. & prop. *lege*: De Cauſa Poſſeſſionis, & Proprietatis.

XIII. De Reſti. ſpol *lege*: De reſtitutione ſpoliatorum.

XIV. De Do. & Contum. *lege*: De Dolo & Contumacia.

XV. De Eo, qui mit. in poſ. cau. rei ſer. *lege*: De eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ.

XVI Ut li. pen. nil. inn. *lege*: Ut lite pendente nil innovetur.

XVII. De ſeq. poſſeſ. & fruc.*lege*: De ſequeſtratione Poſſeſſionum, & Fructuum.

XVIII. De Confeſ.*lege*: De Confeſſis.

XIX. De Proba. *lege*: De Probationibus.

XX. De Teſt. & Atteſt. *lege*: De Teſtibus, & Atteſtationibus.

XXI. De Teſt. cog. vel non. *lege*: De Teſtibus cogendis, vel non.

XXII. De fi. inſtru. *lege*: De fide inſtrumentorum.

XXIII. De Præſum. *lege*: De Præſumptionibus.

XXIV. De Jurejur. *lege*: De Jurejurando.

XXV. De Excep *lege*: De Exceptionibus.

XXVI.

XXVI. De Præſcript. *lege* : De Præſcriptionibus.
XXVII. De ſen. & re jud. *lege* : De ſententia, & re judicata.
XXVIII. De Ap. recuſ. & rela. *lege* : De Appellationibus, Recuſationibus, & Relationibus.
XXIX. De Cler. peregri. *lege* : De Clericis Peregrinantibus.
XXX. De Confir. uti. vel inuti. *lege* : De confirmatione utili, vel Inutili.

Tertii Libri Decreralium Gregorii IX.

Tituli L.

I. De vi. & ho. Cle. *lege* : De vita & honeſtate Clericorum.
II. De Coha. Cle. & Mu. *lege* De cohabitatione Clericorum, & mulierum.
III. De Cler. Conjug. *lege* : De Clericis conjugatis.
IV. De Cler. non reſi. in Eccl. vel Præ. *lege* : De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda.
V. De Præb. & dig. *lege* : De Præbendis, & dignitatibus.
VI. De Cler. ægro. vel debil. *lege* De Clerico ægrotante, vel debilitato.
VII. De inſti. *lege* : De inſtitutionibus.
VIII. De conceſ. Præ & Eccl. non vac. *lege* : De conceſſione Præbendæ, & Eccefiæ non vaccantis.
IX. Ne Se. va. ali. inno. *lege* : Ne Sede vacante aliquid innovetur.
X. De his, quæ fi. à Præ. ſine Conſ. cap. *lege* : De his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu capituli.
XI. De his quæ fi. à maj. par. cap. *lege* : De his, quæ fiunt a majori parte capituli.
XII. Ut Eccl. benef. ſine dim. conſ. *lege* : Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur.
XIII. De Re. Eccl. alie. vel non *lege* : De Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.
XIV. De Preca. *lege* De Precariis.
XV. De Commo. *lege* : de commodato.
XVI. De Depo. *lege*: De depoſito.
XVII. De Empt. & Ven. *lege* De Emptione, & Venditione.
XVIII. De lo. & condu. *lege* : De locato, & conducto.
XIX. De Re. permu. *lege* : De Rerum permutatione.
XX. De Feu. *lege* : De Feudis.
XXI. De Pig. & aliis caut. *lege* : De Pignoribus, & aliis cautionibus.
XXII. De Fidejuſ. *lege* : De Fidejuſſoribus.
XXIII. De ſolu. *lege*: De ſolutionibus.
XXIV. De Dona. *lege* : De donationibus.
XXV. De Pecu. Cle. *lege* : De peculio Clericorum. XXVI.

Digitized by Google

XXVI. De Teſt. & ult. vol. *lege*: De Teſtamentis, & ultimis voluntatibus.
XXVII. De ſuc. ab intes. *lege*: De ſucceſſionibus ab inteſtato.
XXVIII. De ſepul. *lege*: De ſepulturis.
XXIX. De Paroch. & alie. Paroch. *lege*: De Parochiis, & alienis Parochianis.
XXX De Deci. primi & ob. *lege*: De Decimis, primitiis, & oblationibus.
XXXI. De Reg. & trans. ad Re. *lege*: De Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem.
XXXII. De con. Conju. *lege*: De converſione Conjugatorum
XXXIII. De conv. Infid. *lege* De converſione Infidelium.
XXXIV. De Vo. & Vo. Re. *lege*: De Voto, & Voti Redemptione.
XXXV. De Sta. Mo. & Can. Re. *lege*: De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.
XXXVI. De Reli. Do. ut Epi. ſint ſubj. *lege*: De Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.
XXXVII. De Capel. Mo. & alior. Relig. *lege*: De Capellis Monachorum, & aliorum Religioſorum.
XXXVIII. De jur. Pat. *lege*: De jure Patronatus.
XXXIX. De Cenſ. exac. & procu. *lege*: De cenſibus, exactionibus, & Procurationibus.
XL. De Conſe. Eccl. vel Al. *lege*: De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.
XLI. De cele. Miſ. Sac. Euch. & Di. off. *lege*: De celebratione Miſſarum, Sacramento Euchariſtiæ, & divinis officiis.
XLII. De Bap. & ejus eff. *lege* De Baptiſmo & ejus effectu.
XLIII. De Preſ. non Bapt. *lege*: De Presbytero non Baptizato.
XLIV. De cuſto. Euch. Chriſ. & alio. Sacr. *lege*: De cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.
XLV. De Reli. & Ve. San. *lege*: De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.
XLVI. De ob. Je. *lege*: De obſervatione Jejuniorum.
XLVII. De Pur. poſt. par. *lege*: De Purificatione poſt partum.
XLVIII. De Ec. ædi. vel repa. *lege*: De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.
XLIX. De Immu. Ec. cœm. & re. ad eas pert. *lege*: de Immunitate Eccleſiarum, cœmeteriorum, & rerum ad eas pertinentium.
L. Ne Cle. vel Mo. ſæc. neg. ſe immis. *lege*: Ne Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.

Quar-

Quarti Libri Decretalium Gregorii IX.

Tituli XXI.

I. De ſpon.& matri. *lege:* de ſponſalibus & matrimonio.

II. De deſpon. impu. *lege:* de deſponſatione impuberum.

III. De Clan. deſpon. *lege:* de Clandeſtina deſponſatione.

IV. De ſpon. du. *lege:* de ſponſ. Duorum.

V. De condi. ap. in deſp. vel in al. contr. *lege:* de conditionibus appoſitis in deſponſatione, vel in aliis contractibus.

VI. Qui Cle. vel Vo. matri. cont. poſ. *lege:* Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere poſſunt.

VII. De eo, qui dux. in mat. quam pol. per adul. *lege:* De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

VIII. De con. lepro. *lege:* de conjugio leproſorum.

IX. De con. ſer. *lege:* de conjugio ſervorum.

X. De Na. ex lib. ven. *lege:* de Natis ex libero ventre.

XI. De cog. ſpi. *lege:* de cognatione ſpirituali.

XII. De cog. le. *lege:* de cognatione legali.

XIII. De eo, qui cog. conſ. ux. ſuæ. *lege:* de eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ.

XIV. De conſan. & af. *lege:* de conſanguinitate, & affinitate.

XV. De Fri. & male. imp. coe. *lege:* de Frigidis, & maleficatis, & impotentia coeundi.

XVI. De mat. cont. con. interd. Ec. *lege:* de matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ.

XVII. Qui fi. ſint legi. *lege:* Qui filii ſint legitimi.

XVIII. Qui ma. ac. poſ. vel con. il. teſt. *lege.* Qui matrimonium accuſare poſſunt, vel contra illud teſtificari.

XIX. De divor. *lege:* de divortiis.

XX. De do. int. vi. & ux. & de do. poſt. div. reſt. *lege:* de donationibus inter virum & uxorem, & de dote poſt divortium reſtituenda.

XXI. De ſe. Nu. *lege:* de ſecundis Nuptiis.

Quinti Libri Decretalium Gregorii IX.

Titulis XLI.

I. De Accuſ. Inqu. & denun. *lege:* De accuſationibus, inquiſitionibus, & denuntiationibus.

II. De calum. *lege:* de calumniatoribus.

III. De ſim. & ne ali. pro ſpi. exig. vel prom. *lege:* de Simonia,

nia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur.

IV. Ne Præl. vi. ſu. vel Ec. ſub ann. cen. conc. *lege:* Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.

V. De Magi. & ne ali. exig. pro lic. doc. *lege:* de Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

VI. De Judæ. Sara. & eor. ſer. *lege*, de Judæis, Saracenis, & eorum ſervis.

VII. De Hære. *lege*: de Hæreticis.

VIII. De Schiſm. & ord. ab eis. *lege:* de Schiſmaticis, & ordinatis ab eis.

IX. De Apoſta. & reiter. bapt *lege:* de Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſma.

X. De his, qui fi. oc. *lege:* de his qui filios occiderunt.

XI. De Infant. & lang. exp. *lege:* de Infantibus, & languidis expoſitis.

XII. De Homic. vol. vel caſ. *lege:* de homicidio voluntario, vel caſuali.

XIII. De Tornea. *lege:* de Torneamentis.

XIV. De Cle. pug. in du. *lege:* de Clericis pugnantibus in duello.

XV De ſagit. *lege:* de ſagittariis.

XVI. De Adult. & ſtu. *lege:* de adulteriis, & ſtupro.

XVII. De Rapt. incend. & viol. Ec. *lege*: de Raptoribus, incendiariis, violatoribus Eccleſiarum.

XVIII. De Fur. *lege*: de Furtis.

XIX. De uſur. *lege*: de uſuris.

XX. De cri. fal. *lege:* de crimine falſi.

XXI. De ſort. *lege* de ſortilegiis.

XXII. De Collu. dete. *lege*: de colluſione detegenda.

XXIII. De delic. pu. *lege*: de delictis puerorum.

XXIV. De Cle. Vena. *lege*: de Clerico Venatore.

XXV. De Cle. percuſ. *lege*: de Clerico percuſſore.

XXVI. De maledi. *lege*; de maledicis.

XXVII. De Cle. excom. depo. vel interd. minis. *lege*: de Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.

XXVIII. De Cle. non ord. mi. *lege*: de Clerico non ordinato miniſtrante.

XXIX. De Cle. per ſal. prom. *lege*: de Clerico per ſaltum promoto.

XXX. De eo, qui fur. ord. ſuſ. *lege*: de eo, qui furtive ordinem ſuſcepit.

XXXI. De Exceſ. Præ. & ſubd. *lege*: de exceſſibus Prælatorum. & ſubditorum.

XXXII. De Nov. ope. nunt. *lege*: de novi operis nuntiatione.

XXXIII. De Priv. & Exceſ. Privil.

vil. *lege* : de Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum.

XXXIV. De Pur. can. *lege* : de Purgatione Canonica.

XXXV. De Pur. vul. *lege* : de Purgatione vulgari.

XXXVI. De inju. & dam. da. *lege* : de injuriis, & damno dato

XXXVII. De pæn. *lege* : de pænis

XXXVIII. De Pæn. & Re. *lege*. de Pænitentiis, & Remiſſionibus.

XXXIX. De ſent. excom. *lege* : de ſententia excommunicationis.

XL. De V.S. *lege* : de verborum ſignificatione.

XLI. De Re. jur. *lege* : de Regulis juris.

Univerſim proinde in V. Libris Decretalium Gregorii IX. ſunt Tituli CLXXX. In Sexto Decretalium Bonifacii Papæ VIII. ſunt Tituli LXXVII. In Clementinis ſunt Tituli LII. In Extravag. Joannis Papæ XXII. ſunt Tituli XIV. In Extravag. Communibus ſunt Tituli XXXV. In ſeptimo Decretalium ſunt Tituli LXVIII. In Inſtitutionibus Lancellotti ſunt Tituli LXXXXVIII.

Digitized by Google

QUÆDAM ASSERTIONES EXPOSITÆ JURIS CANONICI DESUMPTÆ.

Ex Libri I. Decretalium Gregorii IX. *TITULIS I. ET II.*

I.

Promoti ad Beneficia Eccleſiaſtica Curam animarum annexam habentia, tenentur ad emittendam publicam Fidei Profeſſionem intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis, ſine prævia monitione.

HÆc aſſertio duas habet partes: *Prima* eſt: quod Promoti ad Beneficia Eccleſiaſtica curam animarum annexam habentia teneantur ad emittendam publicam Fidei Profeſſionem intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis. *Secunda* eſt: quod ad eam teneantur ſine prævia monitione.

Quod primam partem concernit, obſervandum, quod per ly *Fidei* non intelligatur actus ille intellectus, quo aſſentimur firmiſſime veritatibus per Eccleſiam nobis à Deo propoſitis: neque habitus ſupernaturalis, ex quo ejusmodi actus eliciuntur: ſed intelligitur ſumma quædam, & Collectio articulorum fidei, ſeu veritatum, quas Eccleſia non ſolum à nobis in ſpecie credi cupit interius, ſed etiam à Promotis ad Beneficia Eccleſiaſtica curam animarum annexam habentia, proviſis de canonicatu, vel dignitate in Eccleſia Cathedrali, ac promovendis ad Epiſcopatus per publicam profeſſionem exterius profiteri præcipit; quos Articulos, & veritates Concilium Tridentinum, & Pius IV. qui illud confirmavit, in certam formulam redegit, ſecundum quam hodie profeſſio fidei externa, & publica à prædictis fieri debet. Hoc obſervato

Ratio

Ratio I. partis eſt nova diſpoſitio Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. c. 12. de Reformat.* Cujus verba ſunt: *Proviſi etiam de Beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus teneantur à die adeptæ poſſeſſionis, ad minus intra duos menſes, in manibus ipſius Epiſcopi, & eo impedito, coram Generali ejus Vicario, ſeu Officiali, Orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem: & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent. Proviſi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus non ſolum coram Epiſcopo, ſeu ejus Officiali, ſed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes Proviſi, ut ſupra, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur:* Ergo Promoti ad Beneficia Eccleſiaſtica curam animarum annexam habentia tenentur ad emittendam publicam fidei profeſſionem intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis. Et intelligitur etiam hæc diſpoſitio Concilii de eo, qui etſi jam ſemel adepto tali beneficio Profeſſionem fidei emiſerit, ad aliud tale beneficium promotus fuerit, quod iterum de novo eam facere teneatur: cujus ratio eſt: quia Concilium ſimpliciter præcipit, ut proviſus de ejusmodi beneficio intra bimeſtre à die adeptæ poſſeſſionis faciat profeſſionem fidei, non diſtinquendo, an hæc jam antea fuerit facta: ergo nec à nobis diſtinctio eſt adhibenda, *c. quia circa. 22. de Privileg.* Item *L. de pretio, ff. de Publiciana in rem action.* Ob quam rationem etiam ille ad noviter emittendam talem profeſſionem fidei tenetur, qui beneficium tale jam poſſeſſum dimiſit, iterumque ad idem promotus eſt, non obſtante priori profeſſione fidei; cum & talis iterum abſolute provideatur de ejusmodi Beneficio.

Quod autem ita promoti teneantur ad emittendam publicam fidei poſſeſſionem (quæ eſt ſecunda pars aſſertionis) ſine prævia monitione. Ratio eſt: quia tempus ipſum à jure ſtatutum vicem monitoris habet, & pro facienda fidei Profeſſione interpellat: *arg. cap. fin. de Locato.* Ergo taliter promoti ultro ſe ſe tenentur offerre ad profeſſionem fidei faciendam, absque eo, quod prævia requiratur monitio. Imò ita à S. Congregatione fuiſſe declaratum, refert Garcias *de Benef. p. 3. c. 3. n. 19.*

II. *Quam*

Digitized by Google

II.

Quam tamen fidei Profeſſionem etiam emittere poſſunt per Procuratorem.

HÆc aſſertio clare colligitur ex *Can. optatum* 4. *diſt.* 100. ubi Agrippinenſis Epiſcopus arguitur, quod nec ipſe fidei Profeſſionem *propria ſubſcriptione munierit, nec aliquem, qui hanc jurejurando firmaret, miſerit.* Ubi ſupponitur, Epiſcopos mittere poſſe alios, illorum nomine Profeſſionem facturos. Et Ratio eſt 1. quia quod quis facere poteſt per ſe ipſum, etiam facere poteſt per alium juxta Reg. 68. in 6. niſi Canone, aut lege prohibeatur: atqui Profeſſio fidei nullo jure prohibetur edi per alium: imo per cit. Can. optatum ſatis clare ita edi permittitur: ergo. Ratio eſt 2 quia hæc Profeſſio fidei nihil eſt aliud, quam juramentum ſolemne, quo aſſumptus ad dignitatem, aut Canonicatum, aut beneficiùm curam animarum annexam habens jurat Romanæ Eccleſiæ obedientiam, & fidelitatem: atqui juramentum ejusmodi edi per Procuratorem poteſt, ut ex ipſo *can. optatum* 4. *diſt.* 100. deſumitur: & adhuc apertius liquet ex *cap. in pertractandis* 3. *de juram. calumn.* Et regula vulgata: *qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum*, ut habetur *cap.* 72. *de R. J. in* 6. Ergo.

Dices 1. Quod hæc Profeſſio fidei non poſſit edi per Procuratorem, bis declaratum eſt à S. Congreg. Card. Et toties deciſum eſt à Rota: & quidem in una Carthaginenſi de Anno 1588. Ergo. ℟. 1. Niſi declarationes S. Congreg. Card exhibeantur in forma authentica (uti defacto factum non eſt) eſſe apogryphas. Et ſi etiam in forma authentica exhiberentur, tunc explicandæ forent, quod promotus non poſſit pro mero ſuo arbitrio nolle comparere coram Superiore ad fidei Profeſſionem coram ipſo deponendum: interim non legitur prohibitum, ne de Superioris quoque licentia, & conſenſu Procurator poſſit intervenire. Deciſionibus Rotæ opponitur alia deciſio Rotæ poſterior, in una Varmienſi Canonicatus 18. Julii 1608. contrarium tenens: ex qua deducitur illas non eſſe authenticas, alias Domini Rotæ procul dubio eisdem more ſolito aſſurrexiſſent.

Dices

Dices 2. Juramentum habet addita hæc verba: Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Dei Evangelia, ut refertur *C. Ego* 4. *de Jurej.* ſed hæc verba non bene pronuntiari poſſunt à Procuratore, cum ipſe non proprio, ſed nomine ſui principalis juret. ℟. Etiam Juramentum hoc corporale præſtari poſſe a Procuratore: non enim apparet, cur non ùt cætera, ita etiam hæc finalia verba Procurator principalis ſui nomine proferre valeat: imo juxta *Can. Optatum* 4. *diſt.* 100. & *Cap. In pertractandis* 3. *de juram. calumn.* ita poſſe fieri decernitur.

Dices 3. Sæpe ex ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ deſignatur certus Epiſcopus, qui Profeſſionem fidei à noviter ad Epiſcopatum promoto recipiat, ne is cum magno labore itineris, & expenſis cogatur Romam tendere: ſed hac commiſſione opus non foret, ſi Profeſſio fidei edi per Procuratorem poſſet: quia laborem & expenſas jam evitaret, ſi Procuratorem jam Romæ exiſtentem conſtitueret. ℟. Hoc ſolum probare, quod cautius agat, qui ejusmodi indultum impetrat, non vero quod neceſſarium ſit. Excipitur caſus, quo per ſtatuta ſpecialia Eccleſiæ, vel Monaſterii &c. Profeſſio fidei perſonalis exigitur: ſecus non. Ita etiam practicatur in noſtra S. Religione Auguſtiniana Excalceata, ubi finito Capitulo Generali, aut Provinciali nomine noviter electorum Superiorum etiam abſentium Secretarius Capituli emittit Profeſſionem fidei.

Dices 4. Juxta *C. Paſtoralis de Judiciis.* Principales perſonæ non per Advocatos, ſed per ſe ipſas factum in judicio proponere debent, niſi forte adeo ſint indiſcretæ, ut earum defectus de judicis licentia per alias ſuppleatur. Item juxta *L. poſt mortem §.* 1. *ff. de Adopt.* Abſens neque arrogare, neque adoptare, neque per alium ejusmodi ſolemnitatem peragere poteſt. Item juxta *L.* 2. *Cod. de his, qui ven. æt. impetr.* Adoleſcentes, qui veniam à Principe impetrare volunt, debent ipſi per ſe comparere, & ſe viginti annorum metas impleviſſe probare. Item juxta *L. un. C. de Aſſertione tollenda:* qui in ſervitute exiſtens proclamat ad libertatem, debet hoc facere per ſe, non per alium in poſſeſſionem inducere debet. Item juxta *L. accuſatore ff. de publ. judic.* Ad crimen publici judicii perſequendum, aut defendendum, Procurator intervenire non poteſt. Item juxta *Can. quia Joannes* 12. *q.* 5. *C.*

relatum. C. ad hæc de teſtam. Clericus, & Epiſcopus in vita per ſe de bonis Eccleſiæ diſponere poſſunt, aliis vero, ut diſponant poſt mortem, mandare non poſſunt. Ergo ex præcitatis textibus inferri videtur à pari multo magis Beneficiarios in propria perſona debere deponere Profeſſionem fidei, non vero per Procuratorem.

℟. 1. Ex his textibus plus non probari, quam quod etiam Beneficiarius, aut quiscunque promotus ad Canonicatum, aut dignitatem teneatur perſonaliter deponere Profeſſionem fidei, ubi ejus perſonalem præſentiam exigit lex, vel ſtatutum ſpeciale, uti in caſibus aſſignatis id lex ſtatuit: uti jam ſuperius ad Dices 3. dictum eſt: ubi vero lex, vel ſtatutum ſpeciale id non exigit, etiam Beneficiarius per Procuratorem eam fidei Profeſſionem emittere poteſt. Ut tamen ad prædicta ſigillatim ſolutio pateat.

℟. 2. ad 1. Dictum *cap. Paſtoralis* tantum loqui de Advocatis, ne illi factum proponant, ſed tantum jus partium ſuarum deducant, demonſtrent, ac defendant, hocque eſſe proprium & peculiare eorum officium, facti propoſitione partibus ipſis, vel Procuratoribus de veritate magis inſtructis relicta. Præterea, cum Advocati ſæpius ſoleant ſuos Clientes à veritate propalanda per ſuggeſtionem ambiguæ reſponſionis avertere, omnino conſultum eſt, ſi judex partem ipſam litigantem reſpondere jubeat, ut videat, qua trepiditatione, quo vultu loquatur: *L. 3. ff. de teſtib.* Quæ omnia non currunt in noſtro caſu. Ad 2. de Arrogatione, & adoptione bene ſtatuitur, ne per alium adoptionis, & arrogationis formulæ expediantur, cum juxta *L. ſi Paterfam. ff. de adopt.* ætas & opulentia arrogantis & arrogati conſideranda ſit, ne inſidioſe illorum bona appeti videantur. Præterea caute exquirendum eſt, cujus vitæ, aut Religionis ſit adoptans, ut hinc eruatur, an adoptio ſit futura ſalubris, nec ne? quæ omnia perſonalem præſentiam poſtulare videntur. Idem dicendum ad 3., quod ad impetrationem veniæ ætatis præſentia adoleſcentis ſit neceſſaria, ut Princeps ex aſpectu, & moribus ejusdem intelligere queat, an ſatis prudentiæ habeat ad bona ſua gubernanda: ut dicitur cit. ibi. L. Quæ iterum ad noſtrum caſum ſunt impertinentia. Ad 4. de exiſtente in ſervitute, ideo hoc ibi ſtatuitur, ne facile ſervus Domino præjudicet, meliusque judex de cauſa aſſertæ libertatis pronuntiet, perſonalis reſpon-

reſponſio neceſſaria fuit non tantum proprie & vere ſervi, ſed etiam pro ſervo habiti *L. non idcirco §. fin. ff. de judic.* Ad 5. optime inductum & ſtatutum eſt, ut non per Procuratorem, ſed per ſe novum Emphyteutam dominus in poſſeſſionem inducat, ne ratione illius novæ acquiſitionis Dominus poſſit quoquo modo calumniari. Quæ omnia in noſtro caſu non ſunt timenda. Ad 6. Procuratorem ad Crimen in judicio intervenire non poſſe, partim, quod judicium fieri poſſet eluſorium, atque delicta impunita manerent, v. g. ſi reus per Procuratorem litigans, & capitalem in ſe ſententiam paratam eſſe audiens, fugeret. Partim ut judex ex conſpectu rei de crimine accuſati melius cognoſcere poſſit, qua animi conſtantia, quo vultu, aut qua perturbatione loquatur. Interim licet inhibitum ſit Procuratorem intervenire ad principalem defenſionem, inhibitum tamen non eſt, eum intervenire ad proponendas excuſationes, allegandas exceptiones dilatorias, & declinatorias pro reo. In caſu noſtro nihil ſimile reperitur. Ad 7. totum verum eſt, quia Clericus in bonis mobilibus, & Epiſcopus in fructibus ſuis æquiparantur uſuariis, aut certe uſufructuariis: uſufructuariis quidem, dum vivunt, uſuariis vero; dum teſtari volunt: ſufficere ergo illis debet fructibus Eccleſiæ uſos fuiſſe, quamdiu Eccleſiæ operam præſtiterunt, non vero ad alios transferre. Simile nihil eſt in noſtro caſu.

Dices 5. Juxta *C. quia nonnulli de Cler. non reſid.* Clericus, ſi fructus beneficii percipere velit, non per alium in officio ſuo ſervire, ſed ipſe perſonaliter in Eccleſia ſua reſidere debet. Item juxta *Can. quem pœnitet.* 88. *de Pœnit. diſt.* 1. Quilibet tenetur per ſe, & non poteſt per Procuratorem peccata ſua confiteri: ergo à pari. ℟. ad 1. Conc. ant. neg. conſeq. Diſp. eſt; quia Clerici Beneficiarii, ſi perſonaliter in Eccleſia ſua non reſiderent, greges ſibi commiſſos mercenariorum more viderentur deſerere, atque ovium ſuarum cuſtodiæ non intenderent, unde tamen ſtipendiis fruerentur: quæ ratio in caſu noſtro non militat. Pariter ad 2. ℟. Conc. ant. neg. Conſeq. Diſp. eſt, quia qui per ſe peccavit, per ſe quoque erubeſcere, & confundi debet, cum erubeſcentia ipſa partem remiſſionis habeat: quod in caſu noſtro non currit.

Dices 6. Si Promotus ad Beneficium Curatum edere poſſet Profeſſionem fidei per Procuratorem, talis Procurator poſſet alium ſubſtitue-

ſtituere, eique demandare, ut in nomine promoti Profeſſionem fidei emittat: atqui hoc non, ergo. Min. prob. Juxta *C. fin. de offic. & poteſt. Judic. deleg.* Ille, cui commiſſum eſt, ut aut excommunicare, aut abſolvere, aut cum irregularibus diſpenſare poſſit, aliis hæc demandare (ſalva Legatorum authoritate) non poteſt: ergo etiam. Item juxta *L. inter artifices. ff. de ſolut.* Si quis navem à ſe fabricandam promiſerit, & alius ædificat non conſentiente ſtipulatore, non liberabitur exinde promittens: ergo à pari. Item Procurator ad matrimonium contrahendum conſtitutus alium deputare non poteſt, niſi hoc eidem ſpecialiter conceſſum ſit: ergo neque. ℟. Conc. maj. neg. min. ad 1. prob. Conc. ant. neg. conſeq. Ratio eſt: quia cum tali ſolum nudum miniſterium commiſſum ſit, ſine cognitione in re ſpirituali, electa fuit induſtria perſonæ. Præterea poteſtas delegandi pendet à jurisdictione, ideo is, qui nudum miniſterium habet, ſubdelegandi licentiam non habet, cum propriam jurisdictionem non habeat, ſed nudum miniſterium: eſt ergo caſus valde diſtinctus à noſtro, qui nullam jurisdictionem requirit. Ad 2. prob. Conc. ant. neg. Conſeq. Ratio eſt, quia inter artifices magna eſt differentia, & ingenii, & naturæ, & induſtriæ, ideoque in electione artificis eligitur induſtria perſonæ, ut ipſemet promiſſor opera ſua perficiat. Ad 3. prob. dico: in mattimonio id fieri ob magnum periculum imminens ad evitandas multas fraudes; imo qui conſtituunt aliquem ad contrahendum matrimonium, certe fideliſſimum eligunt, cui ſua ſecreta pandunt, quæ alios ſcire nolunt. Quæ omnia ſunt extra caſum noſtrum.

III.

Profeſſionem fidei culpabiliter omittentes, fructus poſt duos menſes à jure præſcriptos provenientes non faciunt ſuos, adeo ut eos in conſcientia teneantur reſtituere etiam ante ſententiã declaratoriam.

HÆc aſſertio duas habet partes: 1. eſt, quod omittentes culpabiliter profeſſionem fidei ultra reatum peccati mortalis, pœnæque æternæ, ex jure Eccleſiaſtico in pænam omiſſionis profeſ-

ſionis

ſionis fidei poſt duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur. 2. eſt: quod ante omnem ſententiam judicis teneantur ad talium fructuum reſtitutionem.

Quod taliter omittentes Profeſſionem fidei peccent mortaliter, ſatis indicat tum ipſa materiæ gravitas, tum verbum *teneantur* à Concilio Tridentino adhibitum, *arg. Clem.* 1. *§. nos igitur de V. S.* cum pœna gravis adjecta.

Quod vero taliter omittentes Profeſſionem fidei præter hoc, quod peccent mortaliter, etiam incurrant pœnam amiſſionis fructũm poſt duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis, clare decidit, & ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de Reform. c.* 12. Cujus verba dedimus ſupra in I. Aſſertione. Hic proinde ſolum

Obſervandum 1. Pœnam hanc non incurri niſi à promotis ad canonicatus,aut dignitates Eccleſiarum Cathedralium, aut beneficia curata: unde nec promoti ad Canonicatus Eccleſiarum Collegiatarum, aut beneficia ſimplicia, aut obtinentes portiones in Eccleſiis etiam Cathedralibus hanc pœnam incurrunt, cum ad illam profeſſionem emittendam Tridentini Decreto non adſtringantur: lex ſiquidem Tridentini cum ſit odioſa, ultra proprietatem verborum non debet extendi: lex autem Tridentini ſolum loquitur de proviſis, de beneficio Curato, vel Canonicatu, aut dignitate in Eccleſia Cathedrali.

Obſervandum 2. Hanc pœnam à taliter promotis non incurri, niſi poſt bimeſtre à die adeptæ poſſeſſionis talis Canonicatus, dignitatis, aut beneficii Curati elapſum: adeoque tantum fructus Canonicatus, dignitatis, aut beneficii poſt primum bimeſtre perceptos non faciunt ſuos, non autem priores intra primum bimeſtre decurſos, & perceptos. Nam fructibus primo bimeſtri prrceptis Tridentinum non privat, quia eorum acquiſitionem conditioni poſſeſſionis emittendæ non alligavit. Viciſſim autem, etſi quis, poſtquam per notabile tempus elapſo primo bimeſtri profeſſionem fidei neglexit, eandem poſtea emiſerit, fructus præteritos idcirco amiſſos non amplius recuperat: licet enim poſſeſſio ei tunc ſuffragetur ad acquirendos fructus futuri, non tamen ad recuperandos fructus præteriti temporis: quia quod ſemel deperditum, amplius propria virtute recuperari non poteſt: *arg. can. quam periculoſum* 8. *V II. q.* 1.

Digitized by Google

Quæ in re etiam allegatur deciſio Rotæ *in Ovetenſi mercedis* 12. *Decemb.* 1605. Imo nec Epiſcopus, nec capitulum poſſunt remittere reſtitutionem fructuum talium præteriti temporis: tum quia ita declaratum eſt à S. Congregatione: tum quia nullus inferior poteſt diſpenſare in lege Concilii Generalis, uti eſt hæc lex Concilii Tridentini. Recurrendum ergo eſſet ad Pontificem, qui ſolus remittere valet talem reſtitutionem fructuum, dummodo alia malitia non interveniat, & profeſſio quamprimum emittatur.

Obſervandum 3. Hanc pænam tantum incurri ab illis, qui *culpabiliter* omittunt profeſſionem fidei: unde ſi quis ex ignorantia, inadvertentia, aut oblivione inculpabili intra tempus præſcriptum non emiſit profeſſionem fidei, à peccato mortali eſt excuſatus, & in conſcientia fructus percipere poterit, cum Conſtitutio Tridentina illis fructus adimat, qui *tenebantur* profiteri: ignorantes vero, vel obliti inculpabiliter non tenentur lege in actu ſecundo, ſed excuſantur: & ubi non eſt culpa, neque reatus eſt pænæ. In foro tamen externo talis ignorantia, vel oblivio non excuſat: ignorantia ſiquidem juris clari neminem excuſat, *cap. Ignorantia* 13. *de Reg. J. in* 6. præſertim ubi agitur de lucro captando, uti hic, *L. Juris* 7. *ff. de J. & F. J.* Et quisque id noſſe debet, quod ad ſuum ſtatum, ac vitæ conditionem communi jure ſpectat, *arg. §. imperitia* 7. *Inſt. de lege Aquil.*

Obſervandum 4. Terminum hunc duorum menſium à Concilio non fuiſſe conſtitutum ad finiendam obligationem, ſed ſolum ad non ulterius differendam, aut pænam ratione omiſſionis incurrendam. *Arg. cap. cum delicti* 6. *§.* 6. *de dol. & contum.* Ubi juſſus ad certum tempus ſe judici præſentare, ſi tunc non potuit, vel non voluit, tenetur eo etiam elapſo ſe judici præſentare, alioquin in contumaciam condemnandus. Ergo etiam hic, qui intra duos menſes Profeſſionem fidei emittere neglexit, tenetur illam poſtea, quamprimum poterit, emittere; ſecus pænam hic & taxatam luiturus tamdiu, quamdiu eam emittere diſtulerit.

Obſervandum 5. Conſtitutionem Tridentinam, poſtquam ſtatuiſſet, quod Promoti omittentes Profeſſionem fidei, poſt bimeſtre *non faciant fructus ſuos*, addidiſſe etiam hæc verba: *nec illis poſſeſſio ſuffragetur*: quæ verba ſic intelligenda ſunt, quod nec tri-

annalis poſſeſſio beneficii, Canonicatus, aut dignitatis ſic promotis, & fidei profeſſionem omittentibus poſſit quoad fructuum acquiſitionem elapſo bimeſtri: poſt quam triennalem poſſeſſionem cæteroquin ex vulgata Cancellariæ regula contra Beneficiatos agi amplius nequit.

Obſervandum 6. Taliter omittentes profeſſionem fidei ex conſtitutione Tridentina ſolum privari fructibus, non vero titulo, & proprietate ſui beneficii: imo ſi illud integro triennio pacifice poſſederint, ſe in eo contra quoſcunque manutenere valent per regulam Cancellariæ Apoſtolicæ *de triennali poſſeſſore*. Pariter non privari tales voce in Capitulo, nec jure præcedentiæ à die adeptæ poſſeſſionis, niſi aliud obſtet, prout à S. Congregatione declaratum refertur. Neque eoſdem privari quotidianis diſtributionibus, ſi divinis officiis debite interſint, cum hæ quotidianæ diſtributiones nomine fructuum, & proventuum beneficii non veniant. *cap. licet* 32. *de præb.* Et non ſemel decidit Rota, & S. Congregatio. Neque obſtat, quod etiam diſtributiones quotidianæ fructus Præbendarum ſint, & nonniſi de Præbenda proviſis obveniant. Non inquam obſtat: diſtributiones enim in materia odioſa, qualis eſt præſens, non veniunt fructuum nomine, cum exhibeantur Canonicis non tituli, ſed præſentiæ, & miniſterii perſonalis intuitu. Excipitur: niſi omnes reditus beneficii in diſtributionibus quotidianis conſiſtant; tunc enim: ne diſpoſitio Concilii ſit fruſtranea, etiam de illis eſt intelligenda, cum tunc habeant rationem Groſſæ.

Quoad 2. Partem Aſſertionis: quod Promoti omittentes Profeſſionem fidei in conſcientia teneantur reſtituere fructus poſt bimeſtre elapſum perceptos ante omnem ſententiam Judicis declaratoriam. Ratio eſt 1. Quia conſtitutio Tridentina dicit: *fructus non faciant ſuos*: ergo nec revocabile quoddam dominium nanciſcuntur, quale ſaltem neceſſariam foret, ſi ante ſententiam declaratoriam illos percipere poſſent. Ratio eſt 2. Quia per prædicta verba Concilium Tridentinum fructuum acquiſitionem impedit: ergo dum illos percipiunt, rem alienam percipiunt & percipiendo detinent: atqui res aliena ante omnem ſententiam reſtitui debet: ergo. Contra hanc aſſertionem.

Dices 1. Hæc lex Tridentini eſt lex pænalis temporalis, & po-

poſitiva, ſed lex pænalis temporalis & poſitiva etiam latæ ſententiæ non obligat ad ſubeundam pænam ante ſententiam declaratoriam criminis: ergo. maj. conſtat. imprimis hæc lex Tridentini eſt pænalis temporalis, ut de ſe claret. Etiam eſt poſitiva, quia poſtulat pro ſui executione actionem aliquam, nempe reſtitutionem fructuum: ergo. min etiam patet: ex *arg. c. cum ſecundum* 19. *de Hæred. in* 6.

℟. 1. Ad hoc principale fundamentum AA. neg. maj. Lex ſiquidem hæc Tridentina non eſt pænalis, ſed conventionalis, qua fructus conceduntur ſub conditione emittendæ intra bimeſtre profeſſionis: ut adeo ceſſante conditione nullum jus ad fructus competat.

Neque obſtat, ſi contra hanc reſponſionem dicatur: dum ſuſtinetur hæc lex Tridentina non ut pænalis, ſed Conventionalis, ſeu Conditionalis: manifeſte præjudicet ſibi ipſi ex eo, quia ut ſupradictum ſub obſerv. 3. Inculpabiliter ignorantes non privari fructibus: quomodo enim non privabuntur, ſi privatio illa non ſit pænalis, ſed conventionalis: cum ſub conditione conceſſum, conditione ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter non impleta, ſemper amittatur. Non inquam obſtat: nam dictum eſt ſub obſerv. 3. quod inculpabiliter ignorantes non priventur fructibus in foro interno, & conſcientiæ: bene tamen in foro externo: in hoc enim ignorantia juris clari neminem excuſat. Recolligantur dicta in obſerv. 3. ſupra poſito.

℟. 2. Ad principale fundamentum AA. Concedendo hanc legem Tridentini eſſe pænalem, interim negando eſſe pænalem poſitivam: illa ſiquidem verba: *fructus non faciant ſuos*: aperte innuunt, quod ipſa prima perceptio (intellige poſt bimeſtre elapſum) irritetur, ac proin eſt pænalis negativa, & ipſo jure impeditiva acquirendorum fructuum. Pro dilucidatione.

Notandum hac in parte nobis Adverſarios confundere illam legem pænalem, quæ ſimpliciter imponit reſtitutionem fructuum, & eam, quæ ipſam fructuum perceptionem impedit: prior quidem lex eſt pænalis poſitiva: de qua ſi Concilium loqueretur, & ſolum reſtitutionem præciperet, indubie fructus (quos beneficiatus jam antea ſuos feciſſet) non eſſent reſtituendi ante ſententiam declaratoriam judicis. Atqui Concilium loquitur de tali lege pænali,

quæ

quæ ipſam fructuum perceptionem impedit, & quos fructus Beneficiatus nunquam fecit ſuos, nec potuit ſuos facere: ergo loquitur Concilium de lege pænali negativa: quæ obligat ante ſententiam Judicis.

Urgebis: æque non eſt ſuum, quod deſiit eſſe ſuum, quam quod quis non fecit ſuum: ſed lex pænalis ſtatuens, ut aliquid etiam ipſo jure deſinat eſſe ſuum, non tamen obligat ad reſtitutionem ante ſententiam declaratoriam criminis: ergo etiam lex pænalis impediens, ne quis rem faciat ſuam, obligabit ante ſententiam declaratoriam. min. patet, ex *cap. Cum ſecundum* 19. *de hæred. in 6.* ubi dicitur, quod hæretici, licet propter hæreſim ipſo facto dominium, & proprietatem ſuorum bonorum omittant, illudque Fiſco acquiratur, poſſeſſionem tamen eorum uſque ad judicis ſententiam retineant, nec liceat Fiſco antea ea apprehendere. ℟. neg. maj. quod in pænalibus æque non ſuum ſit, quod deſiit eſſe ſuum, quam quod quis non fecit ſuum: nam non facere ſuum eſt mera negatio, econtra per pænam deſinere eſſe ſuum fit per ablationem proprietatis à reo, ac translationem in Fiſcum, ſicque pæna hæc non eſt mere negativa, ſed privativa, & ſuo modo poſitiva: unde ne lex ultra modum auſtera ſit, uti eſſet, ſi ipſe nocens teneretur ante ſententiam rem propriam abdicare, ſemet ſpoliare, fiſco tradere, relinquit ante ſententiam declaratoriam adhuc dominium debilitatum. At vero talis rigor non eſt, ſi ante ſententiam illud reſtitui debeat, quod ſuum nunquam fuit. Et tales pænæ non ſunt inſolitæ: ut patet de beneficiatis non reſidentibus, aut omittentibus Breviarium, qui pariter fructus non faciunt ſuos, & hinc alia etiam declaratione non ſecuta, eos ſibi retinere nequeunt.

Obſtabis: quod Beneficiatus omittens Breviarium fructus non faciat ſuos, eosque ſibi alia etiam declaratione non ſecuta retinere nequeat, ratio eſt, quia Pius V. in Bulla, quæ incipit, *ex proximo*, id expreſſe ſtatuit. Pariter, quod Clericus non reſidens fructus non faciat ſuos, eosque ſibi alia etiam declaratione non ſecuta retinere nequeat, ratio eſt, quia id clare expreſſit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *v. ſi quis autem. de Reform.* Atqui quod Beneficiatus omittens profeſſionem fidei fructus non faciat ſuos, eosque ſibi alia etiam declaratione non ſecuta retinere nequeat, Con-

Google

cilium Tridentinum non expreſſit: ergo. Unde hic optime applicanda venit Reg. Jur. 57. in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio eſt facienda.* ℞. Conc. maj. neg. min. licet enim in caſibus in majori adductis major fiat expreſſio, quam in noſtro caſu, illa tamen expreſſio eſt abundans, ac ſolum explicat, quod aliunde in his continetur verbis: *fructus non faciant ſuos*: nempe quod hoc ipſo tales fructus tanquam injuſte percepti (cum percipere non liceat, quod ſuum quis facere nequit) ſint reſtituendi. Unde clauſula illa, *alia declaratione non ſecuta* (quæ in caſibus in majoribus addictis exprimitur) in noſtro caſu jam ex natura rei ſubintelligitur: nam ad obligandum aliquem ad reſtitutionem ante ſententiam, ſufficit, quod is ſit detentor rei alienæ.

Dices 2. Si quis poſſideat rem litigioſam, is à tempore litis conteſtatæ fructus ſuos amplius non facit, & tamen illos ante ſententiam definitivam reſtituere non tenetur, ſed licite eosdem percipit, & retinet uſque ad litis exitum, *L. videamus* 38. *§. 7. ff. de uſur.* Item *L. certum* 22. *C. de R. V.* Ergo licet fructus non faciat ſuos qui culpabiliter omittit profeſſionem fidei, eos tamen ante judicis ſententiam reſtituere non tenetur. ℞. Conc. ant. neg. Conſeq. Diſp. eſt: quia hoc ipſo quod res ſit litigioſa, deferri debet ad judicium, ubi inquiſitione, & diſquiſitione probationum utriusque partis opus eſt, donec per ſententiam definitivam judicis lis finiatur, & parti vincenti res adjudicetur. In noſtro autem caſu non agitur de re litigioſa, ſed per legem jam latam fructus beneficii adjudicantur non beneficiario, ſed fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus loci: unde non eſt opus probationibus, adeoque nec ſententia judicis: ſicuti ad rem alienam reſtituendam ſententia judicis non requiritur. Recolligantur dicta ſupra ad urgebis.

Quæritur: Cuinam fructus ob omiſſam profeſſionem fidei applicandi ſint? ℞. Id à Concilio non fuiſſe determinatum: interim verius eſt, applicandos eſſe fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci, ſi fructus ſint à menſa Capitulari diſtincti, & ſeparati: ſi autem fructus à menſa Capitulari non ſint diſtincti, ac ſeparati, ſpectant ad Capitulum, uti fructus non reſidentium, vel excommunicatorum. Ita colligitur ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *de Reform. c.* 1. Et *ſeſſ.* 22. *c.* 3.

Caſus

Caſus Practicus.

Titius fuit promotus ad Parochiam S. Ægidii: effluxerunt tres anni, quibus Titius neſcio ob quas frivolas allegatas rationes nec accepit poſſeſſionem hujus Parochiæ, nec ſub hoc tempore fidei Profeſſionem emiſit. Elapſis ergo tribus annis poſſeſſionem hujus Parochiæ accepit, & effluxis tribus menſibus à poſſeſſione acceptа profeſſionem fidei coram Capitulo, ſede Epiſcopali vacante, emiſit. Ex poſt infirmitate correptus, nec valens officio ſuo ſatisfacere, eidem reſignavit, in ejusque locum ſucceſſit alius. Hoc mortuo Titius Valetudini priſtinæ reſtitutus in concurſu priorem ſuam adeptus eſt Parochiam. Nondum menſis erat elapſus, turbatus eſt in pacifica poſſeſſione Parochiæ, duravit lis per tres annos: tandem in ejus favorem ſententia lata eſt, ac in pacifica poſſeſſione permanſit; toto tempore quo lis duravit profeſſionem fidei non emiſit: nec etiam lite finita: ſuperfluum enim ſibi videbatur eandem repetere, cum jam in prima ſua promotione ad hanc Parochiam conſuetam Profeſſionem fidei emiſerit. Ex poſt ob inſignia ſua merita promotus eſt ad Canonicatum: quo adepto anno jam elapſo coram Epiſcopo præſcriptam fidei profeſſionem emiſit.

Quæritur 1. An Titius, antequam accepiſſet poſſeſſionem ſuæ Parochiæ, obligatus fuerit emittere profeſſionem fidei?

Quæritur 2. An Titius accepta poſſeſſione obligationi ſuæ ſatisfecerit emittendo profeſſionem fidei ſede Epiſcopali vacante coram Capitulo?

Quæritur 3. An Titius reaſſumptus ad eandem Parochiam iterato obligatus fuerit præſcriptam emittere fidei Profeſſionem? Et an in caſu poſito?

Quæritur 4. An Titius promotus ad Canonicatum debuerit profeſſionem fidei emittere? Et ſi debuerit, an ſuffecerit anno elapſo? Et quidem coram Epiſcopo?

Deciſio Caſus.

Ad 1. Quæſitum ℟. quod Titius non fuerit obligatus emittere profeſſionem fidei, antequam accepiſſet poſſeſſionem ſuæ Parochiæ, etſi per eum ſteterit poſſeſſionem non accepiſſe. Ratio

eſt: quia Tridentinum ſolum loquitur, quod proviſi de beneficio Curato teneantur poſt bimeſtre *à die adeptæ poſſeſſionis* profeſſionem fidei emittere. Et licet alias paria ſint, proviſum accepiſſe poſſeſſionem, vel per eum ſtare, quominus illam accipiat, ut dicitur *arg. c. Commiſſa* 35. *de Elect. in* 6. Item *licet Epiſcopus* 28. *de Præb. in* 6. Attamen in propoſito Concil. Trid. ſolum eos obligavit ad emittendam fidei profeſſionem, qui realiter adepti ſunt poſſeſſionem beneficii Curati.

Ad 2. Quæſitum ℟. Titium accepta poſſeſſione obligationi ſuæ non ſatisfeciſſe ommittendo profeſſionem fidei ſede Epiſcopali vacante coram Capitulo. Ratio eſt: quia Concil. Trid. requirit, ut proviſi de beneficiis Curatis profeſſionem fidei emittant in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito (coram Generali ejus Vicario, ſive Officiali. Unde etiam ſede Epiſcopali vacante prædicta profeſſio fidei à Titio debuiſſet fieri non coram Capitulo, ſed coram ejus Vicario. Nec obſtat: quod Capitulum ſede vacante ſuccedat in jurisdictione Epiſcopi, ac fungatur vices illius. Non inquam obſtat, nam tunc per Vicarium à Capitulo electum (quem Capitulum infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare tenetur) juxtà mentem Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 16. *de Reform.* adminiſtratur jurisdictio illa: ac proinde magis per eum repræſentatur Epiſcopus, quam per Capitulum. *arg. C. Non putamus* 2. *de Conſuetud. in* 6.

Ad 3. Quæſitum ℟. Titium reaſſumptum ad eandem Parochiam iterato obligatum fuiſſe emittere profeſſionem fidei, non obſtante, quod jam illam emiſerit in prima ſua promotione ad hanc Parochiam. Ratio eſt: quia Titius abſolute iterum proviſus fuit de ejusmodi Parochia, atque adeo rurſus profeſſionem fidei emittere tenetur, cum hanc Concil. omnibus poſt adeptam talium beneficiorum poſſeſſionem indiſtinctè præcipiat. Quia vero in caſu poſito Titius nondum menſe elapſo turbatus eſt in pacifica ſua poſſeſſione, non tenebatur profeſſionem fidei emittere; Ratio eſt: quia ut incipiat currere tempus illud bimeſtre, non ſufficit adeptam fuiſſe poſſeſſionem, ſed requiritur poſſeſſio pacifica, id eſt, talis, ut in ejus exercitio quis non fuerit ſtatim turbatus de jure, vel de facto, ſed in eo ſteterit per unum vel duos menſes ſine turbatione, at-

que

que moleſtia, etſi dicta poſſeſſio pacifica deinde non duret continue.

Ad 4. Quæſitum ℟. Si Titius fuit promotus ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, omnino tenebatur emittere poſt bimeſtre profeſſionem fidei, & quidem non ſolum coram Epiſcopo, ſed etiam coram Capitulo. Ratio eſt: quia hæc omnia expreſſe requirit à promotis ad Canonicatum Cathedralem Concil. Trid. Niſi ipſemet Epiſcopus, aut ejus Vicarius præſens exiſteret in Capitulo, dum coram eo emittitur profeſſio. Cum ergo Titius ſolum coram Epiſcopo & non Capitulo profeſſionem fidei emiſerit, & quidem primo elapſo anno, fructus non fecit ſuos: nec tamdiu faciet, donec etiam coram Capitulo profeſſionem fidei emittat. Dixi *Si Titius promotus fuerit ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis:* nam ſi tantum promotus fuerit ad Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ, ad profeſſionem fidei non tenebitur: quia Concilium Trid. ſolum loquitur de Canonicatibus in Eccleſiis Cathedralibus.

IV.

Omnis lex etiam humana obligat in Conſcientia.

PRoprius, ac præcipuus cujuſcunque legis propriè dictæ effectus, eſt obligatio in conſcientia, hoc eſt ſub culpa coram Deo. Ratio eruitur ex illo D. Pauli ad Rom. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo &c. itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et ut indicet, ſe loqui de Principibus, ac legibus eorum, mox addit, *Dei Miniſter eſt* (intellige Legislator) vindex *in iram ei, qui male agit.* Demum concludit: *ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Præterea: Lex eſt rationabile præceptum Superioris impoſitum ſubditis: atqui tale dari non poteſt, niſi ſubditi obligentur parere præcepto: lex ſiquidem naturalis (quæ certo conſcientiam afficit) dictat, quod ſubditus obſervare debeat, quæ legitime à legislatore jubentur. Imo ſi juxta Apoſt. Ad Epheſ. 5. & 6. Uxor marito, liberi parentibus, ſervi Domino in Conſcientia parere, ac mandata, quæ in privatæ ſolàm familiæ emolumentum vergunt, exequi tenentur: quanto magis ſubditus in con-

ſcientia tenebitur obtemperare Principum legibus in Reipublicæ utilitatem conſtitutis? Denique, ne ſubditi temere vel legem occulta improbitate, ac clancularii transgreſſionibus, quas à pæna immunes fore confidunt, eludant (non enim *inane & luſorium imperium eſſe debet*, *L. ult. ff. ne quid in loco publ.*) vel audaciores libere, & aperte prævaricentur, vinculo conſcientiæ ſunt coercendi.

Dices 1. Juxta Apoſt. Paulum 1. Timoth. 1. v. 9. *Juſto lex non eſt poſita:* ergo iis ſaltem, qui juſtitiam per baptiſmum adepti ſunt, lex in conſcientia obligans imponi nequit. 2. Juxta S. P. Aug. peccatum definitur, dictum, factum, vel concupitum contra, vel præter legem Dei: ergo qui transgreditur legem hominum, non peccat. 3. Inferior nihil poteſt in foro ſuperioris: forum autem conſcientiæ eſt forum ſuperius, utpote Dei, qui ſolus cognoſcere poteſt ea, quæ in conſcientia alterius geruntur: non vero homo: ergo. 4. Pæna peccati mortalis eſt infernus: ſed homo non poteſt talem pænam imponere: ergo. 5. Poteſtas politica eſt temporalis, & pacem Reipublicæ externam tantum pro fine habet: ſed ad hoc non eſt neceſſaria obligatio conſcientiæ, utpote interior, & bonum cujusque proprium attendens: ergo. ℞. ad 1. Juſto non eſſe legem poſitam ut invito, & tanquam onus: quia non metu pænæ, ſed charitate ad illam obſervandam allicitur. Ad 2. Veriſſimam eſſe illam definitionem peccati: nam licet aliqua peccata ſint immediate contra legem humanam, mediate tamen ſunt contra legem Dei præcipientis legitimo Superiori parendum. Ad 3. Perperam inferri, legislatorem humanam obligare non poſſe in Conſcientia: alias nec maritus, pater, dominus in Conſcientia poſſent obligare. Licet erga legislator politicus (nam aliud eſt de legislatore Eccleſiaſtico) *directe* non poſſit obligare in Conſcientia, aut ſub pæna inferni, bene tamen indirecte, quatenus nimirum mandato hominis conjunctum eſt præceptum Dei jubens ſub pæna inferni obedire homini: ea ergo obligatio provenit à jure naturali ac divino, quo utroque jubemur juſtis præceptis obtemperare. Per quod patet ad 4. Ad 5. Bonum politicum fundari debere in bonitate morali, cum utique & ad pacem exteriorem, ac felicitatem temporalem Reipublicæ tuendam cives conſcientia obſtringantur.

Dices 2. Obligatio legis pendet à voluntate legiſlatoris: ergo ſi legiſlator non exprimat obligationem in conſcientia, non cenſetur hanc imponere: nam ut dicitur C. contra eum 57. de Reg. Jur. in 6. *Contra eum pronuntiandum eſt, qui legem potuit apertius dicere, nec dixit.* Imo Ethnici legiſlatores nec unquam cogitant de tali obligatione: ergo. 2. Leges permittentes ſunt veræ leges, & tamen non obligant: ergo. 3. Privilegia ſunt leges *can.* 3. *diſt.* 3. & tamen non obligant: quilibet enim favori ſuo recte renunciat: ergo. 4. Conſilium non obligat: atqui lex eſt conſilium; quia lex quandoque non præcipere, ſed conſulere videtur, uti patet in *C. commiſſum* 16. *de ſponſal.* ubi de eo, qui cuidam per verba de præſenti intra biennium matrimonium jurato ſpopondit; dein privata lege ductus ad frugem melioris vitæ ſuſpirat, reſpondit Alexander III. *quod tutius ſit ei, religione juramenti ſervata, prius contrahere, & poſtea ſi elegerit, ad religionem migrare.* Ergo 5. Conſtitutiones plurium religionum, uti & noſtræ Auguſtinianæ Excalceatæ, ſunt leges, nec tamen ad culpam obligant: ergo.

℞. ad 1. Obligationem legis quidem pendere à voluntate legiſlatoris *quoad exiſtentiam*: hoc eſt, ut lex exiſtat, vel non exiſtat, cum ponere, aut non ponere, vel etiam revocare legem poſſit; non tamen *quoad eſſentiam*: ſuppoſito enim, quod eam velit exiſtere, ex lege divina, ac naturali conſequente neceſſario obligabit in conſcientia. Et cum lex naturalis etiam Ethnicis non deſit, ſaltem implicite & virtualiter cogitant de obligatione conſcientiæ, hoc ipſo nimirum, quod juſtam legem promulgent. Adeoque licet Princeps non intenderet per legem ſuam obligare in conſcientia, tamen re ipſa lex obligaret, non quidem ex intentione Principis legem ferentis, ſed ex voluntate Dei præcipientis obedire ſuperiori: cum juris naturalis, & poſitivi Divini lex ſit: omni ſuperiori legitime præcipienti obediendum eſſe. Ad 2. Leges permittentes in tantum obligare, in quantum latenter habent admixta præcepta, ſine quibus non poſſet intelligi permiſſio. Hoc indicat Gloſſ. *in L. legis virtus 7. ff. de LL.* quæ utitur exemplo *L. 1. C. de jur. & fact. ignor.* ubi militi permittitur uti exceptionibus poſt ſententiam contra ſe latam ob ſuam ignorantiam; nam illa permiſſio legis obligat Judicem, ut tales exceptiones admittat. Unde lex permit-

Digitized by Google

mittens non quidem obligat eum, cui aliquid permittitur: obligat tamen alios; ne eum jure permiſſo privent, aut impediant. Hinc permiſſio proprie tantum eſt lex reſpectu aliorum, cui permiſſio non favet. Ad 3. Eadem eſt reſponſio: nam etiam obligat alios, ne privilegiatum impediant uti ſuo privilegio. Imo Gloſſam in dictum Can. 3. ſentire, privilegium ſecundum quid, non autem veram legem eſſe. Præterea diſtinguenda ſunt privilegia: quædam ſunt conceſſa intuitu alicujus boni communis, quibus privatæ perſonæ renuntiare non poſſunt. *C. ſi diligenti* 12. *de foro compet. Privilegio fori Clericus renuntiare non poteſt. L. Jus publ.* 38. *ff. de pactis: Jus publicum privatorum pactis mutari non poteſt.* Alia ſunt privilegia conceſſa intuitu privati commodi ipſarum perſonarum, vi quarum certe privilegia leges dici non poſſunt, licet reſpectu aliorum, ne eas in uſu ſuorum privilegiorum turbent, revera leges dici poſſint. Ad 4. Nomine legis interdum comprehendi totam diſpoſitionem ſeu providentiam legiſlatoris circa gubernationem ſubditorum, & ſic ad illum pertinet non tam præcipere, ſed & conſulere, ut ſæpe obſervamus in lege Canonica, & Evangelica; eoque ſenſu non male dicitur legem non modo præcipere, ſed etiam conſulere, quamvis revera id non faciat ut lex, ſeu formaliter, ſed concomitanter. Imo quandoque legem conſulere unum effectum, alium ſequi, nimirum, ut illud opus, quod conſulitur, jure prohiberi non poſſit, nec tanquam malum refutari, & quoad hoc dici poſſe, legem illam retinere vim legis, & obligare. Ad 5. Conſtitutiones ejuſmodi eſſe medium quid inter legem, & conſilium: à Conſilio habent, quia non ligant: à præcepto, quia procedunt modo imperativo.

Dices 3. Lex pure pœnalis datur; ſed hæc non obligat in conſcientia; ergo. ℟. 1. neg. maj. quia lex pure pœnalis in ſenſu proprio, & ſtricto accepta nulla exiſtit, imo neque eſt poſſibilis. Ratio eſt: quia lex quæcunque vel præcipit aliquid, aut prohibet, directe vel indirecte, explicite vel implicite, formaliter aut virtualiter? vel nihil omnino præcipit, aut prohibet? ſi primum: jam non eſt amplius lex pure pœnalis, ſed mixta, non tantum obligans ad pœnam, ſed etiam ad faciendum quod eſt præceptum, & omittendum quod eſt prohibitum, ut per ſe patet: nam transgreſſio

legis

Digitized by Google

legis prohibentis, aut præcipientis, non eſt lex mere pænalis, ut omnes fatentur. Si autem nihil omninò nec directe, nec indirecte præcipit, aut prohibet, nulla omnino datur transgreſſio legis, nulla prorſus culpa, nullum delictum: ergo neque poteſt puniri pæna propriè dicta. Sic v.g. ſi venatio nullo modo eſt prohibita, ſetipeta nullam legem eſt transgreſſus, nullum omnino delictum, aut quaſi delictum commiſit, conſequenter nullam omnino culpam contraxit: quomodo itaque meruit pænam? quid pæna dignum commiſit? quid in eo punitur? certe omnis pæna ſupponit aliquam culpam, alias pæna eſt injuſta: nam juxta L. 131. ff. de V. S. pæna *eſt noxæ, delictorum, & peccatorum vindicta, & coercitio*: inde tritum illud: *ſupplicium eſt pæna peccati.* Ergo nulla dari poteſt rationabilis lex mere pænalis, utpote quæ puniret actionem permiſſam, & licitam, conſequenter innocentem, ſine omni delicto, & culpa. Neque dicatur, quod lex mere pænalis ſupponat culpam, non quidem in genere moris, ſeu theologicam, qua Deus offenditur, ſed juridicam, & politicam, qua in regulas politiæ peccatur. Non inquam dicatur: nam ubi nihil prohibetur, aut præcipitur, ibi nulla negligentia aut incuria intercedit. Præterea reatus pænæ nequit excedere reatum culpæ: ergo nequit in conſcientia reus eſſe pænæ, qui in conſcientia non eſt reus culpæ; ergo. ℟. 2. Dato quod detur lex pure pænalis, hæc non eſt proprie lex, ſed tantum ſecundum dici. Poteſt ergo Princeps, aut reſpublica ſtatuere, ut qui v.g. exportat frumentum, certam pecuniam ſolvat: & quamvis exportans taxatam teneatur ſolvere pecuniam: hæc tamen ſolutio non habet rationem pænæ proprie ſumptæ, licet habeat rationem pænæ improprie, ac late talis, accepta pro quocunque incommodo, vel damno juſte ſubeundo, & ſic nullam ſupponit culpam.

V.

Lex Eccleſiaſtica poteſt præcipere directe actum mere internum.

PRobatur 1. Eccleſiaſtica, & Civilis poteſtas, cum ſint diverſi ordinis, differunt eſſentialiter: non quidem ratione cauſæ ef-

ſicientis, cum utraque à Deo proveniat, atque in perſona Summi Pontificis, qui ſimul ſupremus Paſtor, & Princeps eſt, coadunentur: ſed ratione cauſæ finalis; dum poteſtas Regalis ad externam, & politicam Reipublicæ incolumitatem: Sacerdotalis ad internam, ſpiritualem, & æternam beatitudinem ordinatur: quod aperte demonſtravit Innocentius III. *c. 6. de Majorit. & obedient.* Item Nicolaus Papa *in Can. cum ad verum* 6. *diſt.* 96. Ergo cui conceſſus eſt finis, etiam conceſſa ſunt media ad finem conſequendum neceſſaria per *cap. præterea* 5. *de off. & pat. jud. deleg.* Item *L cui juriſdict. ſubſ.* Atqui poteſtas Eccleſiaſtica habet pro fine beatitudinem internam, & ſupernaturalem: ergo etiam ad obtinendam hanc beatitudinem habet opportuna media; atqui hæc media alia non ſunt, quam actus interni, à quibus externi totam merendi, aut demerendi vim accipiunt: ergo actus interni cadunt ſub diſpoſitionem Eccleſiaſticæ poteſtatis.

Neque dicatur, poteſtati Eccleſiaſticæ ad aſſequendum finem ſupernaturalem ſufficere facultatem præcipiendi actus internos indirecte, & modo ſenſibili, quatenus cum externis conjuncti ſunt. Nam.

Contra eſt: Quod directe, & immediate ordinatur ad finem legislatoris, illud directe & immediate præcipitur: ideo enim legislator Civilis directe præcipit actum externum, quia hic directe ſervit ad finem à ſe intentum: atqui actus mere internus directe, & immediate ordinatut ad finem legislatoris Eccleſiaſtici, actus vero externus ſolum indirecte, & mediate, in quantum ab interno radicalem, & eſſentialem meriti virtutem emutuant: ergo. Præterea, niſi poteſtati Eccleſiaſticæ tribuatur facultas directa in actus mere internos, non erit diſtinctio inter hanc, & poteſtatem Civilem, cum & hæc habeat facultatem indirecte præcipiendi actus internos juxta ipſos AA.

Probatur 2. Si quis die jejunii in animo ſuo dicat: *hodie non jejunabo*: peccat graviter, licet mutata poſtea voluntate jejunet. Contra qualem autem legem eſt hoc peccatum mere internum, niſi contra legem Eccleſiaſticam prohibentem hunc actum internum: Ergo.

Probatur 3. Eccleſia jam ſæpius præcepit, prohibuit, & punivit

nivit directe actus pure internos : ergo poteſt. ant. prob. Concil. Trid. ſeſſ. 13. in decreto de S. Euch. Interdicit: ne quis aliter credat de S. Euchariſtia. Innocentius XI. mandavit in virtute S. obedientiæ, ne quis ullam ex 65. propoſitionibus ab eo damnatis in praxim deducat: multæ autem ex illis concernunt actus mere internos, v.g. fidem internam, ſpem, dilectionem Dei, & proximi. Hoc ipſum prohibet etiam Alexander VII. in damnatione 38. Propoſitionum.

Innocentius X. in Bulla damnationis propoſitionum Janſenii mandat, ut nemo aliter *ſentiat*: atqui *ſentire* eſt actus mere internus : ergo. Denique Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth* decernit, non ſatisfieri præcepto Eccleſiæ per ſilentium, ſed requiri, ut etiam *interius* obſequantur, & propoſitiones Janſenii in animo pro vere hæreticis habeant: hanc eſſe veram orthodoxi hominis obedientiam, etiam *interius* obſequi. Qui aliter *ſenſerit*, tanquam *Apoſtolicarum conſtitutionum transgreſſores* habendos eſſe, ac omnibus cenſuris in hæreticos latis ſubjacere. Hic

Obſervandum pro neceſſaria notitia : Janſeniſtas, ne ab Eccleſia ſeparentur, & tamen doctrinæ Janſenii adhærre poſſint, variis technis ac figmentis Pontificia decreta eludere conatos eſſe. Modo quippe dicebant, propoſitiones illas 5. in libro Janſenii non reperiri, aut ſaltem non in eo ſenſu, in quo ſunt damnatæ : modo aliis confictis interpretationibus elabi tentarunt. Cum autem SS. Pontifices novis mox conſtitutionibus, ac decretis confeſtim nova eorum effugia eliderent, tandem dicebant: Decretis Pontificiis ſatisfieri per *obſequioſum ſilentium*, ut ipſi vocabant : ad obedientiam Apoſtolicis conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis propoſitiones Janſenii ut hæreticas *interius* damnet, ſed ſatis eſſe, ſi de iis nihil loquatur, aut exterius manifeſtet.

Quocirca Clemens XI. anno 1705. edita Bulla *Vineam Domini*, etiam hoc effugium præcludit decernendo, non ſatisfieri conſtitutionibus Pontificiis per ejuſmodi ſilentium: ſed propoſitiones Janſenii vere interius in animo eſſe habendas pro hæreticis : hanc eſſe veram obedientiam voci Eccleſiæ interius obſequi: qui ſecus ſecerint, tranſgreſſores eſſe Conſtitutionum Apoſtolicarum, & omnibus hæreticorum pænis obnoxios.

Si dicatur 1. Pontifices ſic tantum declaraſſe legem naturalem, aut divinam, contra quam pugnant propoſitiones Janſenii: non vero exinde probari eos præcepiſſe actus mere internos:

Contra eſt 1. Licet illæ propoſitiones ſint contra jus divinum, tamen etiam Eccleſia vere illas prohibet, & interius etiam in animo pro hæreticis haberi jubet, requirendo obedientiam decretis Pontificiis præſtandam, & adjiciendo pœnam excommunicationis transgreſſoribus. Certe obedientia Eccleſiæ præſtanda præſupponit præceptum, aut legem Eccleſiæ, & tranſgreſſor legis Eccleſiaſticæ eſſe non poteſt, niſi detur lex Eccleſiaſtica. Et quidem hæc lex verſatur circa actus mere internos, nempe circa internam damnationem propoſitionum Janſenii, & judicium, quod ſint hæreticæ. Ergo.

Contra eſt 2. Licet Lex divina, aut etiam naturalis eas propoſitiones prohibeat, attamen minime ſequitur, quod non etiam ab Eccleſia ſint prohibitæ: ſicut ex eo, quod ea, quæ in Decalogo continentur, jure naturali ſint prohibita, non ſequitur, quod non etiam jure poſitivo divino, & humano ſint prohibita: idem enim actus pluribus legibus prohiberi, aut præcipi poteſt. Et Eccleſia quoad hoc obedientiam ſibi vult præſtari: & inobedientes dicuntur veri tranſgreſſores Conſtitutionum Apoſtolicarum: ergo.

Contra eſt 3. Pontifex in eos, qui interius in animo propoſitiones illas non habent pro hæreticis, licet externe nihil faciant, ſed omnino ſileant, pœnam excommunicationis decernit tanquam in inobedientes tranſgreſſores Pontificiarum conſtitutionum, atqui hanc pœnam jus divinum, aut naturale non decernit: ergo habemus hic humanam legem punientem actus mere internos pœna præciſe Eccleſiaſtica.

Si dicatur 2. Eccleſiam hic ſolum actus internos indirecte prohibere. Contra eſt: Eccleſia prohibet illas propoſitiones in animo foveri, & præcipit eas ſerio in animo damnari etiam tunc, quando nullus adeſt actus externus, quem prohibeat, aut præcipiat, aut puniat: ergo non indirecte, ſed directiſſime actum mere internum præcipit, prohibet & punit.

Dices 1. Innocentius III. *c. tua nos* 34. *de Simonia* ait: *Nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare.* Item *Can. cogitationis. diſt. Pœnit.* dicitur: *Nemo patitur cogitationis pœnam*: ergo.

R. Ad

℞. Ad 1. Summum Pontificem in illo cap. non agere de actu pure interno, ſed de actu mixto cum externo: agit quidem ibi Pontifex *de Simonia mentali*: ſed negatur, quod detur *Simonia pure mentalis*: cum mentalis non ea vocetur, quæ ſolâ voluntate, aut propoſito comittendi Simoniam conſtat (nam voluntas Simoniam committendi non eſt ſimonia) ſed debet omnis Simonia vel pactum externum, vel dationem, aut acceptionem per modum pactionis continere: unde in ipſo textu ſupponitur, cum prava intentione etiam dationem concurrere: ſonat enim textus ſic: *Si tamen is, qui talem donationem fecit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia poſſit adipiſci* &c. ut adeo mentalis Simonia ea ſit, qua nullum quidem exterius pactum initur, attamen aliquid temporale datur ea intentione, ut alter fictum hoc donum pactionis inſtar accipiat, atque in compenſationem viciſſim beneficium, aut quid aliud ſpirituale conferat: ergo caſus eſt de actu mixto, ubi actus internus, & externus ſimul reperiuntur: cum vero ipſi AA. concedant, ac concedere debeant, poſſe ab Eccleſia legem ferri circa actus internos externis junctos, certe relatus textus merito in ipſos AA. retorquetur, eiſque reſpondendi incumbit neceſſitas. Attamen directe ℞. Ex hoc textu plus non inferri, quam Pontificem de internis, & quidem licet exterior actus accedat, ſi maligna intentio non ſatis appareat, non poſſe judicare, ſeu diſponere in forma judicii (cum hæc teſtibus, & inſtrumentis egeat) bene tamen quod poſſit de internis ſtatuere in forma legis & conſtitutionis, ad quam opus non eſt ſtrepitu forenſi. Neque obſtat, quod Simonia puniatur pænâ excommunicationis ipſo facto independenter à ſententia judiciali incurrenda: ergo & in caſu poſito pæna excommunicationis eſſet lata in Simoniam mentalem ipſo jure. Non inquam obſtat: nam non cuivis Simoniæ eſt irrogata pæna excommunicationis latæ ſententiæ, ſed tribus tantum Simoniæ ſpeciebus, de quibus in tit. de Simonia: inter quas non eſt, de qua caſus habetur in cit. *c. tua nos* 34. ideoque tantum coercenda foret pæna judiciali: inde Pontifex dixit: non aliter ſe de eiſdem judicare, quam ſi delictum, & exceſſus eſſet manifeſtus, cum de occultis judicium nequeat inſtitui.

℞. Ad 2. Nemo patitur cogitationis pænam, hoc eſt, nemo

punitur propter cogitationem per ſententiam ſpecialiter in ipſum à judice ferendam, poteſt tamen puniri per ſententiam ipſo jure jam univerſaliter latam: v.g. in omnes, qui propoſitionem Janſeniſticam in animo foverint. Unde Gloſſa ad hunc ipſum textum ait: ſæpius actum cogitationis puniri, ut hæreſim internam. Præterea Gratianus Canonem illum deſumpſit ex jure Civili, quod tantum loquitur de ſuo foro: non autem de foro Canonico.

Dices 2. Recta fidelium gubernatio debet eſſe humana, viſibilis, & ſenſibilis, ſicut ipſe ſtatus Eccleſiæ, & fidelium eſt humanus, viſibilis, & ſenſibilis: atqui actus pure interni ſunt inviſibiles, & inſenſibiles: ergo actus pure interni non conducunt ad rectam fidelium gubernationem: adeoque inaniter præciperentur. ℞. Ex hoc nimium probari: probaretur enim, quod actus interni nec indirecte, & ut cum externis conjuncti ab Eccleſia præcipi poſſent: nam ſicut actus internus ab externo ſeparatus non cadit ſub ſenſum, ita nec actus internus cum externo conjunctus. Numquid enim baptizare, conſecrare, abſolvere, orare poſſum absque eo, quod nullam intentionem, & attentionem habeam, eaque ulli hominum innoteſcat? ℞. 2. diſt. maj. Recta gubernatio fidelium debet eſſe humana, viſibilis, & ſenſibilis, ſi fiat relatio, & appellatio ad ipſam Eccleſiam gubernatricem, conc. maj. ſi fiat relatio, & appellatio ad fideles ab Eccleſia gubernandos, neg. maj. Cum enim fideles non tantum corpore, ſed & anima conſtent; neque corpore, ſed anima paſci, ac dirigi præſertim in ſtatu naturæ elevatæ à Deo jubeantur, certe directio, ac gubernatio ex parte ſubditorum fidelium potius inſenſibili, quam ſenſibili modo exerceri debebit: licet quoad cauſam efficientem, ſeu Eccleſiam directricem ejus directio ſenſibili modo, adeoque legibus Eccleſiaſticis non in mente retentis, ſed publice promulgatis inſtituenda ſit: cujus tamen directio ad actus internos etiam ſe extendit. Inſtantia eſt de Sacramentis, quæ etiam in ſignis externis inſtituta ſunt, effectus tamen mere internos pariunt. Nec obſtat, quod finis intrinſecus, & proximus rectæ fidelium gubernationis ſit bona conſtitutio externa, ac ſenſibilis communitatis: quia hic finis eſt tantum inadæquatus, non adæquatus: finis enim adæquatus legis Eccleſiaſticæ, adoque rectæ gubernationis fidelium eſt bona conſtitutio

tutio

tutio communitatis Eccleſiaſticæ tam in-quam externa: fideles enim petunt gubernari ad finem felicitatis æternæ non tantum per actus externos, ſed vel maxime per actus internos. Unde etiam Eccleſia licet ſit corpus viſibile, principaliter eſt corpus etiam myſticum.

Dices 3. Si finis proximus legis Eccleſiaſticæ eſſet ſpiritualis fidelium perfectio, & ſupernaturalis beatitudo, ſequeretur, non fore diſtinctionem intrinſecam (ſed ſolum extrinſecam ex cauſa efficiente) inter legem Divinam, & Eccleſiaſticam: cum & illa eundem finem reſpiciat. ℟. Concedendo, legem Divinam, & Eccleſiaſticam ſolum differre ex cauſa efficiente: Pontifex enim eſt Vicarius Dei.

Dices 4. Poteſtas legislativa debet eſſe conjuncta cum poteſtate coactiva, ſeu punitiva transgreſſorum: ſed Eccleſia in actus mere internos non habet vim coactivam: ergo. ℟. 1. neg. maj. Ratio negati patet in lege naturali, quæ licet principium, & fundamentum ſit omnium legum, ſolas tamen conſcientias ſine vi punitiva conſtringit. Patet etiam in Summo Principe, qui lege propria quoad vim directivam tenetur, eſto pænam ex transgreſſione non reformidet. Deinde ſi poteſt dari lex humana mere pænalis juxta AA. quæ tantum ſub pæna obliget, quare non etiam mere directiva, quæ tantum ſub culpa obliget, ita ut legislator humanus transgreſſori nullam pænam imponat? ℟. 2. Conc. maj. neg. min. Legi ſiquidem Eccleſiaſticæ latæ de actibus mere internis non deeſt vis coactiva, & coercitiva: nam incutit cenſuras latæ ſententiæ: vel ob violatam legem transgreſſorem ſubjicit pænæ in altera vita ſubeundæ.

Nec dicatur: Pæna in altera vita ſubeunda eſt alterius, & ſuperioris fori, quam humani: neque infligi poteſt niſi à Deo: jam de ratione generica culpæ eſt, quod ſit digna ſupplicio: cum ergo culpa contra legem Eccleſiaſticam ſit proprie culpa non tantum, quatenus *indirecte* eſt contra legem naturalem, & divinam, ſed etiam ſpecialiter, quatenus *directe* eſt contra legem Eccleſiaſticam, ergo quoque proprium ac ſpeciale meretur ſupplicium. Inſtantia eſt in lege Civili, quæ etſi pariter in conſcientia obliget, ita ut culpa contra eam commiſſa tanquam *indirecte* offendens legem Dei ac naturæ, inducat reatum pænæ alterius vitæ, nihilominus inſuper, qua *directe* eſt contra legem Civilem inducit reatum pænæ propriæ in

foro.

Digitized by Google

ſoro Civili. ℞. Pontificem, cum ſit Chriſti Vicarius, atque in animas fidelium imperium, ac pro terra & cælo ligandi poteſtatem acceperit, poſſe *directe* tam ſub reatu culpæ in conſcientia, quam ſub reatu pænæ poſt mortem perferendæ obſtringere: ex quo patet nullam de legislatore Civili quoad hoc eſſe inſtantiam; hic enim tale imperium, & poteſtatem non habet. Et licet inferior in foro ſuperioris nihil poſſit, excipi debet, niſi ipſe Superior inferiori conceſſerit, uti Deus Pontifici. Ex his

Colligitur Diſparitas inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & Politicam: illa ſiquidem pro fine habet rectam gubernationem Eccleſiaſticæ reipublicæ in ordine ad finem ſupernaturalem, beatitudinem nempe æternam: ad quem finem actus interni præprimis opportuni ſunt, & neceſſarii. Finis vero poteſtatis politicæ eſt recta gubernatio reipublicæ ſæcularis in ordine ad felicem ejus ſtatum temporalem quoad externa procurandum, & conſervandum, ut nempe per ſalubres leges pax, & tranquillitas civium foveatur, & juſtitia adminiſtretur: ad quem finem conſequendum ſufficit, ſi omnes reipublicæ cives quoad actus externos bene ſint comparati; hinc invaluit axioma: *De internis non judicat Prætor.* Ex quo elucet altera diſparitas: quia Princeps Politicus non habet aliam poteſtatem in populum, niſi quæ à populo in ipſum eſt translata: ſed populus non habuit poteſtatem, & juriſdictionem in actus internos, & in quibus civis cum cive nullam habet communicationem. Econtra S. Pontifex, & Eccleſia ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam non accepit à populo, ſed à Chriſto.

VI.

Leges vectigalium, & tributorum non ſunt mere pænales, ſed obligant in Conſcientia ad reſtituendum tributum non ſolutum, vel defraudatum,

HAnc aſſertionem Ipſe Salvator aperte confirmat, quando de neceſſitate tributa ſolvendi à Judæis quæſitus Math. 22. v. 21. dixit: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Caſari.* Etiam D. Paulus, poſtquam ad Epheſios cap. 6. v. 5. docuit; leges in Conſcientia ſtringere

per

per ea verba: *neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram* (hoc eſt, metum pænæ) *ſed etiam propter Conſcientiam*: mox Conſcientiæ loco infert, *ideo enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes; reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal &c.* quomodo loquendi non pæna ſolvenda, ſed quod erat ex juſtitia debitum, explicatur.

Ratio autem eſt: quia lex vectigalium, & tributorum fundatur in juſtitia commutativa, ex qua Principi, vel Magiſtratui pro ſua ſuſtentatione debetur compenſatio, & redditus annuus ob onera publica, & curam regiminis publici ab iis, quorum gratia ſuſtinetur: ergo. Imo tales defraudatores inferunt damnum ſuis conſodalibus: nam vel merces ſuas ſine ſolutione tributorum invectas vendunt eodem, vel leviori pretio, ac ſolventes vectigalia? ſi eodem: ergo lucrum ſummum, adeoque injuſtum, reportant: & ementes eorum loco vectigalia ſolvere tenentur non Principi, ſed defraudatoribus: nonne ſumma hæc eſt injuſtitia? ſi leviori: damnunt inferunt conſodalibus, qui ſolventes tributa, tali levi pretio vendere nequeunt ſuas merces, adeoque eis mortuæ manent, emptoresque ab eis deflectunt: ergo.

Neque dicatur: his legibus communiter pænam eſſe adjunctam: adeoque eas æſtimari mere pænales, conſequenter legislatorem ſola pæna eſſe contentum. Non inquam dicatur: quia in his legibus ferendis legislator utitur verbis præceptivis immediate directis ad ipſum actum directe ordinatum à lege v. g. ſolutionem vectigalium: ergo ſignum eſt, quod legislator intendat obligare ad ipſum actum præſtandum, & non ad ſolam pænam, quæ adjecta non tam minuit, quam auget obligationem. Quod exinde colligitur: nam ponamus, quod legislator prohibeat, vel præcipiat aliquem actum non ſtatuendo transgreſſoribus pænam: certe ipſe actus cadit ſub obligatione Conſcientiæ: adjectio ergo pænæ ſub iiſdem verbis præceptis directe de ipſo actu, non mutat verba, & eorum ſignificationem: ergo.

Neque ulterius dicatur: Conſuetudine eſſe receptum, quod ejusmodi leges habeantur ut mere pænales. Non inquam dicatur: quia talis Conſuetudo negatur, ubi tales leges feruntur ſub verbis præceptivis.

Si denique dicatur: in dubio obligationis, & pœnarum mitiorem interpretationem eſſe faciendam: ℞. Regulam hanc admittendo, ſed negando, quod, quando legislator utitur verbis præceptivis de ipſo actu immediate, adſit dubium obligationis: nam ſupra quod immediate cadit præceptum, ſupra id immediate cadit obligatio.

Ergo ſtando huic ſententiæ, aperietur via peccatis. ℞. Non legislatori id eſſe adſcribendum, ſed malitiæ transgredientium.

VII.

Ut lex Pontificia obliget, ſufficit ſolemnis promulgatio Romæ facta.

RAtio eſt: quia promulgatio ſolemnis legis Pontificiæ in ſingulis Diœceſibus facienda neque requiritur ex natura rei, ſeu ipſius legis: quia ad naturam legis plus non requiritur, quam ut in urbe primaria publice communicati ita promulgetur, ut in tanto commercio urbis, & orbis voluntas legislatoris per Diœceſes, & Provincias facile innoteſcat: quod fit, ſi lex Pontificia Romæ promulgetur, ac in acie Campi Floræ, & ad valvas Baſilicæ Apoſtolorum more conſueto affigatur. Neque ex jure poſitivo: quia textus talis juris circa legem Eccleſiaſticam non extat; imo contrarium jure Canonico luculente eſt diciſum: ut patet expreſſo textu in *cap. 1. de poſtul. Prælat.* Ubi rejecta fuit excuſatio Epiſcopi Antiſſiodorenſis, qui legem interdicti à Pontifice pro tota Gallia Sancitam, & ab ejus Legato ſolum Viennæ in Gallia promulgatam obſervare neglexit eo prætextu, quod ſuam ad Diœceſim non pervenerint ſpeciales literæ, ac mandatum; reſpondit ſiquidem Pontifex, neceſſarium id non eſſe, & quod, ſi aliqua conſtitutio ſemel publicata ſit, *id ſolum ſufficit, ut ad ejus obſervantiam teneatur, qui noverit eam ſolemniter editam, aut publice promulgatam.* Ergo. Hæcque eſt praxis ſedis Romanæ, cum Bulla Cænæ, Regulæ Cancellariæ &c. Romæ ſolum promulgentur, & tamen omnes ligent, & etiam extra Romam obligatio porrigatur: cum Curia Romana alias in cauſis exterorum inique judicaret ſecundum leges ſolum Romæ promulgatas.

Hic obſervandum: quod lex Pontificia ſolum Romæ ſolemni-

niter promulgata ſtatim obliget in actu primo proximo omnes communitates cujuscunque Diœceſis, vel Provinciæ: ut tamen eas obliget in actu ſecundo, requiratur latitudo temporis, ut moraliter diffundi poſſit, hoc eſt, deduci in notitiam communitatum, ad quam autem nulla nova juridica, aut ſolemnis requiritur publicatio: ſed talis certa notitia facile hebetur per Regum legatos, Epiſcoporum Procuratores Romæ exiſtentes, qui authenticas tranſmittunt copias.

Neque obſtat *cap.* 1. *de N. O. N.* Et *can.* 7. *diſt.* 10. Ubi deciditur: in iis caſibus, in quibus nihil clare diſponit jus Canonicum, bene autem Civile, iſtius diſpoſitionem admitti poſſe, vel debere, in re, quæ non eſt ſpiritualis, nec contra immunitatem Eccleſiaſticam, nec concernit peccatum: atqui lex Civilis *Novell.* 66. ſtatuit, non obligare legem in ea Provincia, in qua non eſt promulgata: Et jus Canonicum de hoc nihil ſtatuit: ergo. ℟. 1. neg. quod jus Canonicum de hoc nihil ſtatuat: contrarium enim patet ex *cap.* 1. *de poſt. Prælat.* in proba adducto. ℟. 2. diſt. Et jus Canonicum *ſcriptum* de hoc nihil ſtatuit, tranſeat. Et jus Canonicum *Conſuetudinarium* de hoc nihil ſtatuit, neg. Uſus, praxis, & Conſuetudo curiæ Romanæ, præterquam quod ſit lex non ſcripta, ſatis declarat mentem, & voluntatem Pontificis, dum conſtitutionem aliquam ad omnes fideles directam, quæ eſt *Urbis*, & *Orbis*, publice Romæ promulgat. ℟. 3. SS. Canones, & SS. Pontifices, non quidem ex obligatione, & neceſſitate, ſed ex imitatione, & congruentia, acceptare leges Civiles rationabiles, & juſtas *in cauſis Eccleſiaſticis decidendis*, quando jure Canonico nihil conſtitutum eſt, qua tales cauſæ decidi poſſent: non vero *in exercitio poteſtatis legislativæ, in modo condendi, ac ferendi leges, atque per eas fideles obligandi:* quia cum Pontifex non arctetur juris Civilis legibus, non tenetur in publicatione legum ſuarum ſervare modum ab his præſcriptum.

Neque obſtat 2. *cap. cum infirmitas* 13. *de Pœnit. & Remiſſ.* Ubi decernitur, quod Conſtitutio, qua Medici incurrunt pœnam excommunicationis: niſi infirmos ad quos vocati fuerint, ante omnia inducant ad S. Confeſſionem &c. non prius obliget, quam à Prælatis Locorum fuerit promulgata: ergo. ℟. 1. neg. ant. Nam cap. cit. Pontifex non ſuſpendit obligationem ſuæ Conſtitutionis uſque ad

 pu-

Digitized by Google

publicationem: ſed tantum executionem gravis pænæ, nempe excluſionem ab ingreſſu Eccleſiæ; verba ſunt hæc: *Si quis autem Medicorum hujus noſtræ Conſtitutionis, poſtquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgreſſor extiterit, tamdiu ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, donec pro transgreſſione hujusmodi ſatisfecerit competenter.* Ex quibus colligitur, publicationem Prælatorum non requiri, quaſi ante ipſam Medicus non poſſet eſſe tranſgreſſor conſtitutionis, ſed requiri, ne poſſit ad evitandam pænam Cenſuræ Eccleſiaſticæ ignorantiam legis allegare. ℟. 2. Ex hoc ipſo, quod cap. cit. Pontifex addat clauſulam ſpecialem, pænam in Medicos ſtatutam non incurri in locis particularibus ante promulgationem ibidem factam, habetur argumentum, quod, ubi talis clauſula non additur, legem velit valere poſt promulgationem Romanam, & poſtquam ſufficienter fuerit intimata. Cur enim adderetur aliquando illa clauſula, ſi de jure communi lex non obligaret in Provinciis, niſi poſtquam ibidem fuiſſet promulgata? fruſtranea utique eſſet talis clauſula. Certe exceptio tam ſpecialis firmat regulam in contrarium quoad non excepta, ſeu quoad leges, quibus talis clauſula non additur. Contra hanc reſponſionem.

Dices: Etſi *Novella* 66. particularis ſit, & de LL. Teſtamentariis duntaxat præſcripta, attamen ob paritatem rationis ad reliquas leges porrigitur: ergo etiam eſto cit. *cap. cum infirmitas*, particulare ſit, ac de Medicis tantum loquatur, ad alias tamen leges ob rationis paritatem erit extendendum. ℟. 1. neg. ſupp. conſeq. quod ſit identitas rationis inter hanc legem cit. cap. & alias Pontificias conſtitutiones. Nam Pontifex cit. cap. cauſam & rationem requiſitæ publicationis per Prælatos locorum non expreſſit: ergo gratis dicitur, inter hanc & alias conſtitutiones eſſe identitatem rationis: quam, etſi daretur, contraria praxis curiæ Romanæ evertit. ℟. 2. Paritatem objectam de Legibus Imperatoriis nil evincere: eo quia *Novellæ* 66. extenſio ad alias leges Imperatorias non tantum habet pro cauſa rationem paritatis, ſed præcipue verba ipſius Rubricæ, ac tituli, quæ verba ſunt generalia pro omnibus legibus, ut factæ novæ conſtitutiones poſt inſinuationes earum poſt duos menſes valeant. Eſt autem, receptum dogma apud juriſtas, quan

do

do Rubrica perfectum ſenſum habet, vim legis obtinet. Neque obſtat ſpecialitas textus, quia iſte non eſt appoſitus ad limitandam Rubricam, ſed tantum exemplificandam.

Neque obſtat 3. Bulla Pii IV. quæ incipit: *ſicut ad Sacrorum*, & ad Calcem Tridentini impreſſa habetur, in qua Pontifex expreſſe recipit *Novell.* 66. & propterea ſtatuit, ut decreta ejuſdem Concilii primum obligarent Calendis Maji à finito Concilio addita ratione, quia nimis durum videtur facta publicatione Romæ, ſtatim obligari Decreto Pontificio quoſvis fideles etiam remotiſſime diſſitos. ℟. Si Pontifex exprimat modum publicationis, & terminum inducendæ obligationis: eidem ſtandum eſt, ſecus ſi nihil exprimat: ut in præſenti loquimur. Sic etiam *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de Reform. Matrim. c.* 1. decrevit, in ſinguliis Parochiis debere promulgari hanc legem, ac primum poſt triginta dies à facta ibidem promulgatione vim habere. Ad rationem additam ℟. quod ſolum aſſeramus, leges Pontificias Romæ ſolemniter promulgatas ſtatim obligare in actu primo: diſtantia loci facere poteſt, ne detur obligaio in actu ſecundo ob ignorantiam inculpabilem legis.

Neque obſtat 4. *Can. fin. diſt.* 18. ubi dicitur, Conſtitutiones Eccleſiaſticas non obligare niſi intra ſex menſes. Nam ℟. In hoc Canone ſex menſium ſpatium non aſſignare cum ordine ad promulgationem legum, ſed ad pleniſſimam inſtructionem Cleri, & plebis: ut nimirum ſinguli Epiſcopi intra ſex menſes omnes Clericos, & omnem Conventum ſuæ Diœceſis convocent, & eis omnia pleniſſime referant, quæ eodem anno in Concilio acta, vel definita ſunt. Sicuti licet lex Evangelica Jeroſolymis feſto Pentecoſtes ſolemniter fuerit publicata, tamen deinde ab Apoſtolis per omnes urbis Provincias, imo hodiedum divulgatur, & prædicatur, non quod per hanc prædicationem lex conſtituatur, aut ejus vis obligativa, ſed ut omnibus ſufficienter notificetur.

Neque obſtat 5. Promulgationem eſſe locutionem publicam ad communitatem: ergo debet non tantum fieri Romæ, ſed in omnibus Diœceſibus. ℟. Locutionem Summi Pontificis ſatis eſſe publicam, ſi Romæ totius Orbis urbe principe publice fiat: unde facile per legatos, Procuratores, Nuntios, & Copias Authenticas transmiſſas omnibus Diœceſibus inoteſcere poteſt.

Faciunt hic aliqui diſcrimen inter leges Pontificias, & de le-

ge præcipiente, ac prohibiente aſſerunt, eas poſt promulgationem Romanam obligare: ad legem vero irritantem, reſcindentem, auferentem privilegia conceſſa, jurisdictionem &c. requirunt etiam promulgationem in Diœceſibus, ne cum publici boni diſpendio & animarum emergant nullitates. Verum conſequentia doctrinæ poſtulat, ut de omnibus idem doceatur, eas nempe poſt promulgationem Romanam obligare eos, qui ſufficientem earum notitiam acceperunt: taliter enim caventur omnia incommoda alias emergentia.

Pro Coronide obſervandum: Plures Principes Catholicos, ut Regem Hiſpaniarum, & Galliarum habere privilegium, quo Bullæ Pontificiæ non ſolum abſque publicatione in ipſorum ditionibus facta non obligant, ſed neque ſine Regio concenſu publicari poſſunt. Sic etiam Ferdinandus III. Imperator 21. Novemb. 1641. demandavit, ut nulla Pontificia Bulla ſine conſenſu ſuo promulgetur. Adducitur etiam conſuetudo Germaniæ, aut potius benigna interpretatio, ut Pontificiæ Bullæ, præſertim irritatoriæ, abrogatoriæ, cenſuras Eccleſiaſticas, & jurisdictionem fori pænitentialis concernentes ante publicationem in Diœceſibus factam obligare non videantur: uti nec Tridentinum extra materiam fidei obligare cernimus in iis partibus, ubi non eſt promulgatum. Interim tamen ſemper dicere oportet, quod Lex Pontificia Romæ promulgata, quantum eſt ex parte ſui, ac in actu primo, omnem vim obligandi habeat pro toto orbe Chriſtiano: cur autem in actu ſecundo non ſtatim omnes obliget, id non provenit ex defectu legis, aut promulgationis, ſed ex defectu alicujus conditionis accidentalis, v. g. quia etiamnum ignoratur, aut acceptata non eſt, aut in deſuetudinem abiit conſentiente, vel tacite connivente Pontifice &c.

VIII.

Forenſes per ſe, & ordinarie particularibus Eccleſiarum, aut locorum ſtatutis non tenentur.

Oppoſitum huic aſſertioni defendi ut Theologus, prout videre eſt in meo Tract. VI. de legibus jure, & juſtitia, part. 1. q. 6. §. 3. Dico 11. Ut tamen contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, amodo aſſertionem expoſitam teneo. Antequam ejuſdem allegetur ratio.

Cer-

Certum eſt 1. Forenſes, ſeu exiſtentes extra ſuum territorium, non obligari lege territoriali, quamdiu extra illud exiſtunt. Id expreſſe decernit Bonifacius VIII. *in cap. ut animarum tit. de LL. in 6.* Et ratio eſt: quia ſicut agentia Phyſica, quæ operantur dependenter, à loco habent ſuam ſphæram activitatis, ita etiam agentia moralia dependentia à loco: atqui tale agens eſt lex territorialis: ergo habet determinatam ſphæram activitatis: ergo non producit obligationem ſuam extra territorium; maxime cum *in cap. fin. hoc tit. in 6.* ſubdatur ratio ex *L. ult. ff. de juriſdict. Cum extra territorium Jus dicenti non pareatur impune.*

Certum eſt 2. Forenſes particularibus Eccleſiarum, aut locorum ſtatutis obligari, ſi eo acceſſerint animo figendi ibidem *domicilium*: quia tunc non ſunt forenſes, ſed incolæ ſubditi illius loci ratione domicilii ibidem fixi, cum animo ſtabiliter ibidem habitandi. Idem extenditur ad eos, qui eo accedunt animo figendi ibidem *quaſi domicilium*, id eſt, cum animo ſaltem per majorem, aut notabilem partem anni ibidem habitandi: quia & hi fiunt ſubditi illius loci.

Certum eſt 3. Etiam Forenſes fieri ſubditos illius loci, per quem tranſeunt, ratione contractus, delicti, aut rei ſitæ: unde ſi ratione horum ibi conveniantur, tenentur judicem illius loci agnoſcere, ac judiciis ſecundum illius loci ſtatuta, ac conſuetudinem ſe ſubjicere.

Certum eſt 4. Etiam Forenſes obligari legibus particularibus, & conſuetudine locorum, quibus regulantur contractus, taxantur pecuniæ, ac rerum pretia. Item illis, quibus imponuntur vectigalia, telonia &c.

Certum eſt 5. Etiam Forenſes obligari legibus particularibus loci, per quem tranſeunt, ſi illæ ſpecialiter latæ ſint in bonum illius loci ob neceſſitatem Reipublicæ, uti ſunt, quæ prohibent, ne certæ merces inferantur, aut efferantur, ne forenſes ultra tot dies commorentur, ne certum genus armarum feratur &c.

Certum eſt 6. Etiam Forenſes obligari legibus univerſalibus, Eccleſiaſticis, & Civilibus, ſi in loco, ad quem perveniunt, uſu receptæ vigeant; ſive deinde in eorum patria, aut in loco eorum domicilii vigeant, ſive non vigeant: quia legibus communibus omnes tenentur, niſi in loco, in quo quis verſatur, ſint abrogatæ, vel

Digitized by Google

vel diſpenſatæ. Sic licet in Diœceſi tua pro quadrageſima in conſtitutione carnis ſit diſpenſatum, ſi tamen in aliam Diœceſim pervenias, in qua non eſt diſpenſatum, teneris à carne abſtinere, ac jejunare ratione legis communis jejunii. Item Mediolanenſis tranſiens per Germaniam tenetur etiam primis quatuor diebus quadrageſimæ abſtinere à carnibus, uti etiam Belga ſabbathis intra Nativitatem Domini, & Feſtum Purificationis: licet in ipſorum patria contraria conſuetudo vigeat.

Certum eſt 7. Etiam Forenſes teneri legibus particularibus loci, ſi hæ latæ ſint pro ipſis quoque extraneis: tunc enim ſub conditione conceditur eis tranſitus, ut nempe illis legibus obtemperent: ſicque tranſeundo tacite acceptant conditionem, ac prorogant juriſdictionem Principis vel Magiſtratus loci.

Certum eſt 8. Etiam Forenſes obligari legibus particularibus loci, ſi alias daretur ſcandalum, vel occaſio, ut etiam incolæ legem prævaricentur, idque vi juris naturalis. Inde in aſſertione expoſita additæ ſunt particulæ *per ſe & ordinarie.* Jam ergo

Ratio aſſertionis eſt: quia juxta *cap. ult. de foro compet.* modi regulares ſortiendi forum tantum ponuntur delictum, contractus, domicilium, res ſita; ibi: *licet ratione delicti, ſeu contractus, aut domicilii ſive rei, de qua contra poſſeſſorem cauſa movetur, quibus forum regulariter quis ſortitur &c.* Ergo tranſitus per locum non eſt modus *regularis* ſortiendi forum: atqui ſi tranſeuntes promiſcuè tenerentur legibus, ſortirentur *regulariter* forum, quia deberent eſſe ſubjecti juriſdictioni loci, ac poſſe cogi à judice ad obſervantiam, vel ob transgreſſionem puniri.

Ratio eſt 2. quia lex eſt aliquid morale: ergo lex territorii obligat illos, qui exiſtunt in territorio moraliter: atqui Forenſes non commoraturi, ſeu brevi diſceſſuri ex loco non ſunt moraliter loquendo in territorio: ergo lege territorii non obligantur. prob. min. ſubſ. 1: *argum. L. quæſitum 87. §. fin. ff. de legatis 3.* ubi dicitur: res, quæ in fundo legato caſu exiſtunt, non cenſentur eſſe in fundo: ergo etiam perſonæ, quæ caſu in territorio ſunt, non cenſentur obligatæ, quia non reputantur eſſe in territorio. 2 *argum. cap. ad noſtram de Regular.* non cenſetur in Religione fuiſſe, qui poſt paucos dies exivit: ergo etiam non cenſetur in territorio

eſſe

eſſe, qui eſt in territorio brevi diſceſſurus. Unde in jure brevis mora habetur pro nulla *argum. cap. nam & ego 3. de V.S.*

Neque obſtant textus *in can. quæ contra 2. diſt.* 8. Item *can. illud* 4. Item *can. illa* 11. *diſt.* 12. Item *can.* 1. *diſt.* 41. Item *can. in nova* 22. *cauſ.* 16. *q.* 7. ubi dicitur, quod quiſque conſuetudini Eccleſiæ, ad quam venerit, accomodare ſe debeat. Nam ℟. 1. quod hi textus ſint deſumpti ex SS. PP. quibus de ſe deciſiva authoritas non eſt. ℟. 2. Quod hi textus loquantur vel de illis, qui diutius ſaltem in loco morantur, vel obſervantiam ratio ſcandali, boni publici, aut aliud ex certis præſuppoſitis expoſtulat: Ut expreſſe patet ex *can.* 11. *diſt.* 12. *cit.* ubi S.P. Auguſtinus verba hæc addit: *Si cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi:*

Neque obſtat 2. *cap. fin. de feriis.* Et *cap. conſilium* 2. *de obſervat. jejun.* ubi dicitur: In feſtivitatibus, & abſtinentiis ſervandam eſſe conſuetudinem Religionis. Nam ℟. Id intelligendum eſſe de ſubditis: vel ſi de peregrinis, tunc eo modo, ut ſupra dictum ſub certum eſt 6. & 8.

Neque obſtat 3. Forenſes gaudent privilegiis locorum, per quæ tranſeunt, nec tenentur, leges communes, in patria quidem receptas, ſed in loco tranſitus abrogatas, obſervare; ergo cum ferant locorum commoda, onera viciſſim ſuſtineant, oportet, quæ æquali paſſu cum commodis procedere æquitas, & æqualitas naturalis voluit, *cap. qui ſentit.* 55. *de R. J. in* 6. Nam ℟. argumentum cum regula eſſe verum, quando commodum & onus ex eodem fonte fluunt: quod in noſtro caſu non eſt: cum vis obligandi requirat juriſdictionem, quæ in forenſes, & transeuntes nulla eſt: participatio vero privilegii juriſdictionem non ſupponit. Præterea neque forenſes carent oneribus, cum debeant ſervare leges communes, à quibus forte in patria erant exempti: item quæ ad contractus pertinent, vel nominatim de extraneis ſunt latæ, vel ſine ſcandalo, aut Reipublicæ diſpendio non poſſunt negligere &c. Non ſunt ergo exleges.

Neque obſtat 4. Morantes in loco permanenter ſunt ſubditi permanenter: ergo etiam morantes in loco tranſeunter, ſunt ſubditi tranſeunter. Nam ℟. neg. conſeq. Diſp. eſt: quia morantes in loco permanenter, aut longo tempore, ſortiuntur forum domicilii, aut quaſi domicilii: ſed morantes tranſeunter nec habent forum domicilii propterea, nec aliud, ergo loco non ſubjiciuntur.

Digitized by Google

Neque obſtat 5. Diſcedens ad breve tempus e ſuo territorio, ejuſdem legibus brevi illo tempore ſtringi deſinit: ergo vice verſa, accedens ad breve tempus ad aliud territorium, obligabitur brevi eo tempore illius legibus. ℟. neg. conſeq. Ratio eſt: quia ut quis obligetur legibus loci, debet tam eſſe *de territorio*, cum alioquin non ſit ſubditus, quam *in territorio*, quia poteſtas legislatoris ſui territorii tanquam certæ ſphæræ terminis eſt definita; alterutro deficiente nulla eſt obligatio. Quia ergo diſcedens e ſua patria deſinit eſſe *in illo territorio*, quamvis ad modicum tempus, abſolvitur pro tunc ejus legibus: & quia accedens peregre ad alienum territorium non eſt *de illo territorio*, utpote in quo forum nullum ſortiri ſupponitur, etiam ejus legibus non ſubjacet.

Dices: Juxta rationem 2. hujus aſſertionis datam: in jure brevis mora habetur pro nulla: ergo ad breve tempus diſcedens e proprio territorio, obligatur legibus particularibus ſui territorii: aut ſi brevis mora abſentiæ non habetur pro nulla, quare ergo brevis mora præſentiæ pro nulla haberi deberet. ℟. Ex *reg. jur. in* 6. Favores eſſe ampliandos, odia autem reſtringenda; eſt autem favor, ut diſcedens ex proprio territorio non obligetur legibus ſui territorii: odium vero, ut obligetur legibus loci, per quem tranſit: eſto ergo brevis mora diſcedentem e ſuo territorio deobliget legibus ſui territorii: non tamen brevis mora accedentem ad alienum territorium obligabit legibus illius. Præterea antecedenter data ratio diſparitatis etiam hic eſt applicanda.

Neque obſtat 6. Forenſes tenentur interdicto locali, ergo & aliis legibus territorii tanquam localibus. ℟. neg. conſeq. quia leges territorii dicuntur *locales*, quatenus eos obſtringunt, qui loci ſubditi ſunt, & actu in loco, ſeu tam de territorio, quam in territorio ſunt: cum abſque ſubjectione nulla ſit parendi neceſſitas: forenſes autem, licet tempore tranſitus exiſtant in loco, ſeu ſint in territorio, non autem ſunt de territorio, adeoque nec ſubditi loci. Interdictum autem locale dicitur, quatenus ipſe locus eodem directe afficitur, quia inducit ex parte ipſius loci incapacitatem, ita ut nec infantibus, furioſis &c. qui cæteroquin legibus non tenentur, ibidem ſepultura concedatur; hinc mirum non eſt, forenſes quoque ſepeliri in ejuſmodi loco non poſſe.

Hæc omnia ſint Judicio Eccleſiæ humiliter ſubjecta.

ASSER-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ASSERTIONES
JURIS CANONICI
Ex Libri I. Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulis I. II. III. & IV, deſumptæ.

I.

PRomoti ad Beneficia Eccleſiaſtica curam animarum annexam habentia, tenentur ad emittendam publicam fidei Profeſſionem intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis ſine prævia monitione.

II.

Quam tamen etiam emittere poſſunt per Procuratorem.

III.

Eam culpabiliter omittentes, fructus poſt duos menſes à jure præſcriptos provenientes non faciunt ſuos, adeo ut eos in Conſcientia teneantur reſtituere, & quidem ante ſententiam declaratoriam.

IV.

Omnis Lex etiam humana obligat in Conſcientia.

V.

Si eſt Eccleſiaſtica, poteſt præcipere actum mere internum directè.

VI.

Ut Lex Pontificia obliget, ſufficit promulgatio Romæ facta.

VII.

Leges vero Imperatoriæ non obligant in ſingulis Provinciis, niſi in eis fuerint ſpecialiter promulgatæ, & tunc quidem non prius, quam poſt duos menſes à die cujuslibet promulgationis.

VIII.

Leges Vectigalium, & Tributorum non ſunt mere pænales, ſed obligant in Conſcientia ad reſtituendum tributum non ſolutum, vel defraudatum.

IX.

Advenæ, & forenſes per ſe, & ordinarie particularibus Eccleſiarum, aut locorum ſtatutis non tenentur.

X.

Digitized by Google

X.

Qui ea ſolum mente è ſua Diœceſi egreditur, ut legem communem declinet, illicite agit.

XI.

Unde qui in locum, ubi Tridentinum promulgatum non eſt, eo ſolum animo ad tempus ſe transfert, ut abſque Parocho, & teſtibus matrimonium inire valeat, legitimum non contrahit matrimonium

XII.

Lex ſimpliciter actum irritans, eum quoque pro foro interno invalidum efficit.

XIII.

Econtra lex ſimpliciter prohibens aliquem actum, & non addens clauſulam irritantem, nec perſonas reddens ad agendum inhabiles, actum non facit irritum, ſed ſolum illicitum.

XIV.

Reſcriptum tam juſtitiæ, quam gratiæ per dolum ob- vel ſubreptitiè obtentum, eſt ipſo jure nullum, & vitiatur totaliter

XV.

Et quidem ante omnem ſententiam.

XVI.

Conſuetudo contra legem debet eſſe rationabilis.

XVII.

Quæ introduci poteſt per actus formaliter peccaminoſos.

XVIII.

Tempus ad complendam conſuetudinem debet eſſe continuum, regulariter 10. annorum.

XIX.

Sine juſta cauſa legislator in ſua lege diſpenſat quidem valide, ſed non licite.

XX.

Inferior autem diſpenſans ſine juſta cauſa in lege ſuperioris (in qua ipſi alias diſpenſare conceſſum eſt) nec valide, nec licite diſpenſat.

O. A. M. D. G.